



2
6
213
















A



C

D



HEBRÆORUM DE CONNUBIIS JUS CIVILE ET PONTIFICIUM:

SEU

EX R. MOSIS MAJEMONIDÆ

SECUNDÆ LEGIS

SIVE

MANUS FORTIS

Eo libro, qui est de re uxoria,

TRACTATUS PRIMUS.

Quem tractatum ex Hebræo Latinum fecit

LUDOVICUS DE COMPIEGNE DE VEILLE.






PARISIIS,

Apud F. MUGUET, Regis & Archiepiscopi Typographum, viâ Cytharæ, ad insigne adorationis trium Regum.

M. DC. LXXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





ILLUSTRISSIMO VIRO

JOANNI BAPTISTÆ COLBERT,

MARCHIONI

DE SEIGNELAY,

Regi ab omnibus Consiliis & Secretis, Ærarij Moderatori, summo regiorum ædificiorum Præfecto, sacrorum Ordinum Quæstori, &c.



EXQUISITUM *quoddam & minimè vulgare muneris genus offero tibi*, VIR ILLUSTRISSIME, *ex* R. *Mosis Majemonidæ præstantissimo illo opere, quod* Secunda Lex

inscribitur, tractatum de connubiis, qui Hebræorum de re uxoria jus utrumque complectitur. Namque in eo de ratione sponsaliorum & nuptiarum cùm novâ, tum antiquâ, de dote & donatione propter nuptias, item & de jure hæreditario copiosè disputatur. Magnæ sanè quæstiones, & dignæ, ut mihi quidem videntur, quæ in tuo nomine appareant. Præterea autem accuratè explicatur quo animo inter se conjuges, quâ pietate erga liberos esse conveniat: quibus tu laudibus adeò præstas, adeò abundas; nihil ut ad eas addi posßit. Etenim multi multa ornamenta, egregiasque virtutes tuas suis scriptis celebrabunt, ingenium perspicax, judicium acre, memoriam admirabilem, animum celsum & fortunâ longè majorem, patientiam in labore pene incredibilem, industriam in agendo, consilium in providendo. Porrò autem immortalitati tradent à Rege, ex quo te suis

consiliis interesse, ærario præesse voluit, palatia multifariàm excitari ampla, magnifica, & novo prorsus artificij genere expolita: vicinos & longè dissitos populos & principes huic imperio amicos pecuniâ & armis adjuvari: terrâ marique bella confici ea, quibus gerendis Roma quondam terrarum domina se imparem esse sensit: maria nec ullo obstante discrimine committi, ac diversos, ut ita dicam, orbes commercio jungi: tum longinquas in regiones emitti illustres ingenio adolescentes, qui multorum populorum linguas addiscant, mores & rationes perspiciant, & iidem benignitatis regiæ totidem veluti obsides tam fœderibus cum remotissimis quibusque nationibus, quàm commerciis faciendis inserviant. cum his simul unà omnium bonarum artium accademias institui sumptibus extraordinariis: arcem illam Vraniæ extrui: componi bibliothecam ex omni parte

regiam: ubique gentium viros aliqua arte præstantes largis muneribus quotannis donari. Enimverò sicut Mecœnatem ab Augusto, ita te alterum à Rege propagatorem ingenuarum artium latè per orbem prædicant. Quo minus quisquam mirari debet tuam illam insignem ac prope singularem in liberis educandis curam atque industriam: quos cùm ab ineunte ætate magistris in disciplinam tradideris vitâ & scientiâ claris, tum eorum exercitationibus tute, quantæ quantæ sunt occupationes, frequens interesse cupis; ut laborem ex te verum, veramque virtutem discant. Nimirum & in hoc etiam pietatis & officij munere Regis maximè rationibus consulis ac prospicis, cui ut te totum, sic & liberos tuos singulari curâ eductos, omnibus rebus instructos & ornatos, atque adeò ad maxima quæque munera obeunda inprimis idoneos dedi ac consecrari expetis.

Sæpe ego tuum coram intueor, obſervo, & alloquor filium, qui ſacris ſe ſe addixit. O juvenem egregium! O ſingulare virtutis ſpecimen, dignum quod Deo devoveretur! qui id ætatis rerum divinarum interiori quadam & recondità doctrinà excellit: in te ſemper tanquam in ſpeculum inſpicit, ut tuam velut effigiem, ſic & virtutem, quoad ejus fieri poßit, exprimat: viros claros amore proſequitur: humanitate ad ſe allicit: officiis ſibi devincit. Ad meum autem ut redeam munuſculum, id confido tibi pergratum fore, perque jucundum, utpote quod ex eo fuit delibatum opere, quod ſemel atque iterum jußiſti, imperaſti; ut in latinum ſermonem ex Hebræo converterem: neque enim tu es is, qui pati poßis quidquam cognitione dignum diutius deliteſcere. Atque hac de cauſa cùm antehac Regis in me liberalitatem derivaſti, tum verò magnam mihi otij litterarij ſpem in

posterum ostendis. Superest igitur, ut, mihi ne egomet ipse deesse videar, elaborem & enitar, ut in me tua beneficia rectè collocasse existimes. Qua in re me omnem curam meam, studium, diligentiam, industriam & operam consumpturum profiteor ac polliceor. Vale. Lutetiæ Parisiorum XIII. Kalendas Julij M. DC. LXXIII.





PROŒMIUM
INTERPRETIS.

DE vita R. Mosis Majemonidę, atque adeò de præstantia hujus scriptoris pluribus egit J. Buxtorfius in proœmio libri ejus qui DOCTOR PERPLEXORUM inscribitur. Nos autem de Judæorum doctrina illa, quam aliis alij quasi de manu in manum perpetuò tradiderunt; in libellis his quos antehac in lucem emisimus, sanè quàm diligenter explicavimus: præsertim verò de R. Majemonidæ præstantissimo illo opere, quod SECUNDA LEX, item

& MANUS FORTIS inſcribitur. Is enim hoc opere univerſam Judæorum traditionem repudiatis rejectiſque fabulis ſine ulla controverſia magis emendatè, magis puré, magiſque concisè edidit, quàm ſcriptorum quiſquam, qui ante vel poſt hunc adhuc extiterint. Itaque & rationem operis ejus, & ordinem expoſui, & diviſionem in libros atque tractatus, & ſubjectam cuique materiam: quarum rerum notitia ex ſuperioribus libellis meis petenda eſt. Multis enim hoc opus & váriis temporibus ac formis excuſum eſt, idque Venetiis, non alibi, quod ſciam. Ego verò ad hunc tractatum ex Hebræo latinum faciendum his duobus uſus ſum exemplaribus: quorum alterum cùm duobus commentariis & nonnullis etiam ani-

madverſionibus in folio magno editum anno 1524. in volumina diſtribuitur duo : alterum item cum commentariis duobus & quibuſdam animadverſionibus in folio parvo editum anno 1574. fere in Volumina diſtribuitur quatuor. Quorſum igitur iſta dixerit aliquis ? Quia in hac exemplarium varietate non ita rarò contingit, ut textus à textu diſcrepet : hîc mutila videas quædam & quaſi decurtata : illîc productiora & quaſi immoderatiùs excurrentia : hîc emendata , illîc depravata lectio ; quorum ego multa multis locis ad marginem in eo, quem jam nunc in lucem mitto, tractatu annotavi : multa etiam judicio lectoris permiſi, & diligentiæ : unum ſit è multis exemplum, quod quoties horum duorum exemplarium in altero occurrat vo-

cabulum illud *gentium*, quo Christianos homines ſolent appellare Judæi, toties in altero ſubſtitutum videas nomen *Cuteorum*, metu credo, magiſtratuum; qui reip. illi præerant tunc temporis, quo fuit horum exemplarium poſterius excuſum. Moneo igitur hos qui libellum iſtum ſument in manus, ut ſi forte verſio mea cum textu minus congruere videatur, adeant ad horum exemplarium utrumque, fiet ſatis, ſcio. Jam huic de connubiis tractatui materies eſt ſubjecta ſanè multiplex, ut in quo diſputatur de ratione ſponſaliorum, de nuptiis legitimis, & earum contrariis: de conjugum mutuis inter ſe officiis, de poteſtate viri in uxorem, & ejus fortunas: item & de poteſtate patrum in liberos: de univerſa ratione hæreditatum, de dote & donatione

propter nuptias, & ſexcentis aliis quæſtionibus è medio jure petitis, quas in ſubjecto elencho nominatim perſcripſi. Atque harum cognitio quàm multum ad ſacrarum litterarum intelligentiam conduxerit vel ex una quæſtione intelligere licet. Lex erat Hebræis, ut ex ſua quiſque tribu duceret uxorem: atqui ſummæ vir ſanctimoniæ David, cujus ex ſtirpe Chriſtus erat oriundus, in matrimonium ex infima tribu duxit Micol Saülis filiam: idem & alij multi fecerunt viri boni. Nimirum hoc illud eſt, quod hîc copiosè diſputatur: puellis nihil quidquam à parentibus hæreditario jure veniebat ubi relinquerentur & pueri: rurſus eædem hæreditatem capiebant omnem ſi ſolæ ſuperſtites eſſent: atque in his denique locus erat ſupe-

riori legi; ut possessiones ex alia tribu ne moverentur in aliam. Itaque Mariæ Virginis genus præclare ostenditur ostenso genere conjugis: hanc enim cum alio, quàm tribuli suo nubere non licebat ideo, quia familiæ suæ erat ex asse hæres: neque enim quidquam referebat, utrùm magna, an parva, aut etiam nulla relinqueretur hæreditas, si modò jus esset hæreditarium. Nam in hoc tractatu sæpenumero commemoratur de divortiorum litteris, de contractu nuptiarum, de calceo leviro detrahendo, & fratria jure affinitatis ducenda, de potestate renuendi virum, quæ potestas ei demum fuit concessa mulieri, quam mater, frater, aut alius è propinquis nuptum dederit ante pubertatem: quorum formulas esse tum cognitione di-


gnissimas, tum ad juris prudentiam perutiles quis neget? Etenim has ego partim verbis Syriacis, partim Chaldaïcis conceptas ex diversis locis hujus operis sic, ut apud editionem in parvo folio anni 1574. extant in unum transtuli, atque ad calcem hujus tractatus apposui. Ac de ratione instituti nostri satis dictum est.



Errata.	*Correctiones.*
Page 4. l. 27. alieno viro, tum	*lege*, alieno viro tum,
Pag. 8. lin. ult. u tetiam ,	*l.* ut etiam
P, 16. l. 29. ritè viro conjucta,	*l.* conjuncta.
P. 40 .l. 4. repetitio nulla desit ,	*l.* repetitio illa desit
P. 46. l. 28. in quo fossæ sit ,	*l.* in quo fossæ sint
P. 87. l. 5. ad panem adbibeat,	*l.* ad panem adhibeat.
P. 138. l. 29. risumac ,	*l.* risum ac
P. 172. l. 1. Etsi,	*l.* Et si
P. 194, l, 31, norint singulos,	*l*, singulas.

ELENCUS

IX



ELENCHUS
HUJUS TRACTATUS.

Cap. I. P*Ræscriptum à Lege esse, ut uxor, ante quàm ducatur domum, à viro certis quibusdam rebus ematur, qua emptione facta jam tum mulierem emptoris esse propriam, atque adeo sponsam, seu viro dicatam appellari: cum meretrice rem habentes verberibus coërceri: aliter appellari mulieres quarum à congressu Lex viros prohibet & exitij pœna coërcet; aliter eas quarum conjunctioue Lex interdicit quidem, non item exitio coërcet. Et propinquitatis gradibus, & certis quibusdam hominum generibus aliis Lege, aliis instituto majorum interdictum esse.*

Cap. II. *Fœminam ab ortu usque ad quoddam ætatis spatium parvam & pupulam; dein ab hoc ad aliud puellam vocari: tum si pubertas appareat, puberem; sterilem, si signa sterilitatis existant. Et masculum ex quo editur*

ē

in lucem ad tempus præfinitum dici parvum & pupulum; posthac si pubertas emersit, majorem appellari & virum. Qui omnino pubertatis signa nunquam edat, eum vocari spadonem: hunc enim ab execto differre: androginum verò, & hominem prorsus obthuratum neque viros, neque fœminas; sed ambiguos haberi: porrò dementes atque surdos, eos videlicet quibus nec est loquendi potestas, non esse cæterorum hominum instar.

Cap. III. *Quasdam legitimas esse uxoris dicandæ formulas, easque solas à solo viro adhibendas, alioqui nullas esse. Filiam in potestate patris esse ad ætatem puberem. Totum hoc despondendi, seu dicandi negotium mandare procuratori non nefas esse: verùm enim melius esse multo, ut vir & fœmina rem contrahant ipsi. Quibus negotium mandetur idoneos esse omnes, præter surdos, qui iidem & aurium sensu carent, dementes, & ethnicos: illi, quia non sunt mentis compotes; hi, quia non sunt fœderis participes: atque post pactam mulierem & gratulationem Deo factam denique ad dicandi rationem procedi.*

deret, opus esse ut absint ea, quibus mulieres temerantur, vitia. Si quis conditioni dicandi prodiderit aliquos dies, quomodo & quando firma sit dicatio? tum si interea loci vir alius eandem sibi mulierem extemplo dicarit, utra harum dicationum rata sit? Denique dicationes multas multis de causis aut esse dubias, aut omnino nullas.

Cap. VIII. *Vir si dicandi pretium promiserit aliud, aliud dederit, dicationem esse nullam: similiter statuendum de quacunque circunscriptione seu viri, seu mulieris. Quem hominem doctum, quem Legis peritum, quem sacri codicis intelligentem, quem fortem, quem divitem appellari conveniat?*

Cap. IX. *Colliguntur dubia varia ad quæstionem de dicatione pertinentia, atque enodata exponuntur.*

Cap. X. *Sponsum prohiberi rem habere cum sponsa necdum à socero domum deducta: eadem ad thalamum deducta frui usque licere: antequam nuptiæ fiant preces solemnes, quæ subjiciuntur, fundendas esse. Nuptias etiam ante concubitum perfici. Etenim decretum à Sapientibus esse, ne quisquam sponsam pro*

uxore habeat, quin ei pro donatione propter nuptias quandam perſcripſerit denariorum ſummam, aliam videlicet virgini, aliam mulieri: denarij verò aliud alio tempore fuiſſe pretium: uxorem qui ducat, eum ex inſtituto Sapientum cunctis occupationibus ſe relaxare dies aliquot nuptias proximè conſequentes, quos eoſdem cum uxore conſumat hilaritate, lætitia, jucunditate, atque oblectatione: nuptiis nonnunquam moram produci, unde, cur, quando, qualem?

Cap. XI. *Et ad donationem propter nuptias, & cætera ad omnia quaſdam virgines pro mulieribus haberi: & quibuſdam nihil pro donatione propter nuptias dari: viro nonnunquam in uxorem eſſe virginitatis actionem: virginitatis ſigna eſſe duo.*

Cap. XII. *Virum cùm uxorem ducat conditionibus adſtringi decem, ut ejus ſumptibus etiam poſtquam ipſe de vita deceſſit uxori præbeatur victus & veſtitus ad præfinitum tempus: item & habitatio: alimenti modum atque habitationis accommodari ad facultates viri: ut ſtatis diebus præſtet officium conjugiale, &c. Mulierem autem adſtringi*

conditionibus quatuor: ut quidquid ipsæ labore quæritet, quidquid fortuitò reperiat, viri sit: idem ex ejus bonis fructus omnes capiat quoad ipsa vivat: sin eam efferat, ejus hæreditatem, capiat præ cunctis. Et quemadmodum vir uxorem, item oportere ut liberos ex ea susceptos ad certam ætatem alat. Vir cùm peregre exierit unde, quomodo, quando subministrentur ejus uxori & liberis quæ sunt ad vitam necessaria?

Cap. XIII. *Quid uxori vir debeat vestimenti, supellectilis, habitationis, mundi muliebris? Quid idem vestitus, supellectilis, tecti debeat liberis? Quid fieri oporteat mulier, si per se aut per virum sit voto obligata, ut ne his utatur? Mulierem deceatne convivia agitare, parentes & amicos visere; rursusque ad se recipere? Vitandam esse vicinitatem impuram: uxorem ex alio loco in alium asportare viro licere, neque tamen quòvis gentium.*

Cap. XIV. *Statum illud tempus, quo vir cum uxore consuetudine communi consuescat, pro conjugum numero & suis cuique viribus definiri: nefas esse uxorem stato tempore defraudare: mulierem si*

in officio jugali viro adversetur primùm reprehendi, deinde pœna coërceri. Similiter & viro, si officium jugale detrectet, multam irrogari. Quod si vir & mulier mutuò se accusant de negligentia & omissione jugalis officij quid statuto opus sit? Officium viri esse mulierem ægrotantem curare, captivam redimere, mortuam sepelire, & justa funeris pro facultatibus solvere.

Cap. XV. *Concessu uxoris statum illud tempus virum rectè omittere, siquidem præcepto illi propagandi generis satisfecit: præcepto illo teneri non mulierem, sed virum ut ætatis annum attigit decimum & septimum: verùm ob divinæ Legis studium retardare conjugium non esse nefas: functum esse præcepto progandi generis cui puer & puella nati sunt: uxorem ad gignendum inhabilem amittendam esse. Si vir in uxorem impedimentum gignendi, uxor in virum conferat cui sit habenda fides? post præfinitum temporis spatium si nulli sint procreati liberi, mulieri esse in manu, ut fiat discessio: aliquem uxoris zelum esse laudabilem. Vel uxori suæ vim inferre minime decere: ad extremum quo*

animo inter ſe conjuges, quibuſque moribus moratos eſſe conveniat?

Cap. XVI. *A donatione propter nuptias differre bona dotalia: horum genera eſſe duo: nec donationem propter nuptias uxori quovis tempore ſolvi, nec de quovis fundo, nec ſine dato jurejurando: quod ad argenti rationem attinet conditione mulierem eſſe pejori: ex edicto Sapientum etiam de re mobili perſolvi cùm donationem propter nuptias, tum cætera pacta dotalia: nunc verò donationem ex quodam pacto ſolvi de re mobili: ex auctoritate Sapientum uxori pro denariis centum donationis propter nuptias oppignerari bona viri univerſa. Mulierem velut reliquos creditores cùm donationem propter nuptias exigat ſacramento adigi, aut voti ſponſione obligari; à quo, ubi, quando? Donatio propter nuptias veniatne hæredibus mulieris quando hæc diem ſuum obiit ante, quàm ſacramentum dixit? Quod ad tempus ſuam poſſit uxor donationem propter nuptias exigere? Quid de donatione propter nuptias ſtatuendum ſit, ſi hoc in contentione ponatur, uxor utrum ſit ducta virgo, an mulier?*

Si contentio ſit inter virum & mulierem de remiſſo repudio, quid decernatur? Quid ſi mulier divortij litteras afferat, non afferat perſcriptionem dotalem? Quid porrò ſi perſcriptiones dotales afferat geminas, geminaſque divortij litteras? An mulier virum ſuum à vita diſceſſiſſe prædicanti habenda ſit fides, dandaque licentia nubendi alteri.

Cap. XVII. *Poſt obitum viri, qui plures in matrimonio habuerit uxores, his donationem propter nuptias ex ordine collocationis perſolvi: item & uxoribus creditores tempore antecedentes interdum præferri: totumque in expendendis nominibus jus antecedendi ediſſeritur: inde de his, qui donationem propter nuptias uxori pro viro aut ſpoponderint, aut in ſe receperint: cùm viri bona univerſa pro donatione propter nuptias mulieri oppignerentur, fieri tamen poſſe, ut vir ſi quid de ſuis vendat, venditio rata ſit: mulieri licere ut in ſuam donationem propter nuptias prædia viri divendat: quando, quomodo? Denique explicatur de donatione propter nuptias, quam mulier aut vendidit, aut viro remiſit.*

Cap. XVIII. *Post viri mortem ab hæredibus hujus viduæ victum & cultum, habitationem & supellectilem suppeditare: ubi, quamdiu, quomodo? Ægrotantem viduam curare interdum esse horum, qui viri hæreditatem crevere, & sepultura afficere mortuam: interdum illorum ad quos pervenit mulieris hæreditas: parum abesse quin vidua mulier operam eandem atque viro hæredibus ejus navet: ad quem dos viduæ mulieris morte redeat, & illius amplificatio quæ vivente viro facta sit? An vidua, quem vir ipse vivus fundum vendidit, hunc ab emptoribus ad usum & vitam suam possit recuperare? Si quis viduas reliquit plures, hisne ad victum sit antecedendi jus? Quæ vidua in leviri potestatem incidit utrùm de viri extincti, an de leviri bonis sit alenda? Si certum quid vir moriens in victum destinavit mulieris, quænam sit ejus conditio? prius à muliere jusjurandum exigi, quàm ei quidquam decernatur ad victum. Consilium interdum viduæ sicut victum, item & decernere laborem. Viduæ, nisi perscriptionem dotalem proferat, nullum decerni victum. Si mulier unà cum viro*

peregre exierit, tum autem dicat redux virum è vita discessisse, aut nuntium sibi remisisse, habendane sit ei fides? An ob rem dubiam viri ab hæredibus etiam quid exigatur? ad exigendum victum aliud præfiniri tempus inopi, ac locupleti viduæ: sortis & accessionis donationis propter nuptias ad omnia rationem esse prorsus eandem.

Cap. XIX. *Ex pacto dotali donationem propter nuptias & dotem à matre liberis masculis hæreditate venire, siquidem mater ante obitum juravit: atque pacto isto non tolli hæreditatis æquationem, quam sancit divina Lex. Et patris hæreditatem pervenire ad filios: puellas autem fratrum sumptibus tolerari ad præfinitum tempus: multum tamen interesse inter victum viduæ & puellarum: litteras dotales proferri oportere ubi has perscribi moris est. Si quidquid fundi à patre relictum est, id totum ad victum puellarum requiritur, hæreditate excludi pueros: quod si quis viduam simul & puellam reliquit, nec reliquit rei satis ad usum & vitam ambarum, puellæ præferri viduam: ubi nullus est puer superstes, hæreditatem*

illico inter puellas majores & minores ex æquo partiri.

Cap. XX. *Scivisse Sapientes, ut suæ quisque filiæ de re familiari impertiretur aliquid ad nuptias : id cultum appellari. Quid suæ quemque filiæ ad cultum tribuere conveniat? An hoc filiæ tribui oporteat tum, cùm hæc eadem paternam hæreditatem capiat? An viduæ superstitis victus obstet, quin puellæ suus tribuatur cultus? Si puella minor nubendo nihil de cultu suo significavit, anne perdiderit? An perdiderit puella major quia non petiit cùm viro nupsit, aut à fratribus ali desita est?*

Cap. XXI. *Vxor quidquid fortuitò reperit, quidquid labore & manu efficit ad virum pertinere : mulierem enim quamvis divitiis abundantem manu sua quid efficere necesse esse: genus laboris ad consuetudinem loci dirigi, assiduitatem ad facultates : mulier ut ancillas habeat bene multas, nihilo secius oportere quædam officia viro per se ipsa præstet, plura inops, dives pauciora. Cùm mulieri sit repudium remissum, huic nihilominus in manu esse, ut quos ipsa viro pueros peperit ad sextum æta-*

tis annum domi suæ secum retineat, atque interea loci virum his omnia ad usum & vitam suppeditare oportere: puellas enim à matre nunquam discedere.

Cap. XXII. *Ex possessionibus uxoris, dum ipsa vivat, fructus omnes percipere virum, & hos eosdem ab emptoribus etiam, si quid mulier vendidit, recuperare: & recuperare solum quoque, si tamen eveniat, ut uxorem efferat: nam viro superstiti rem uxoris universam jure hæreditario obvenire præ cunctis, etiamsi ante, quàm venisset ad thalamum uxor morte occumberet. Quid statuendum de bonis fratriæ, quæ necdum venit in leviri potestatem? Quid de re mariti, qui sine liberis decessit? Quid porrò de mulieris hæreditate si diem suum obierit ante, quàm sit leviro deducta domum? De vario genere honorum ad mulierem pertinentium: de horum venditione, donatione, & quacunque alienatione: de rebus à muliere clam viro depositis: idem de deposito servi, aut natu minoris.*

Cap. XXIII. *Vir si quid ante nuptias mulieri de jure suo nominatim concessit,*

idemque perſcripſit, ratum eſſe: Quas vir in rem uxoris egit impenſas, alias aliter compenſari: eſſe dotis aliam in aliis regionibus conſuetudinem, eamque maximè ſervandam. Quidquid filio, filiæque promiſſum à patre eſt in primas nuptias, id verbo adquiri: ſecundarum autem nuptiarum atque reliquorum etiam propinquorum aliam eſſe rationem: aliter eſſe ſtatuendum ſi ſponſæ pater genero quid in nuptias pollicitus peregre abiſſet, aliter ſi ſponſa quod ipſa promiſit præſtare nequeat: item & intereſſe utrum ſponſa quid ipſa promiſit natu major, an natu minor: eſſe dies quoſdam, quibus uxorem ducere omnino non liceat: præterea locis aliis alio die duci virginem, alio mulierem.

Cap. XXIV. *Si quis duxiſſet uxorem aut ſterilem, aut vetito interdictam, eamque non ſatis cognitam, hanc multis rebus multari: multari & eam, quæ virum renueret: pluribus etiam rebus multari mulieres iſtas, quæ viris propter mores ſuos poſt nuptias interdicantur: viro enim propter mores ſuos interdici mulieres, quæ fœdus conjugiale violarint, quæ contra Legem Moyſis,*

contra morem Iudæorum commiſerint, quibuſque infamiæ nota inuſta ſit. Qui ſit ille mos? Quæ ſit infamiæ nota?

Cap. XXV. *Vxorem bona fide ductam ſi poſtmodum reperiatur aut certorum ſponſione votorum obligata, aut quodam vitiorum genere temerata, uxorem illam quoque multari donatione propter nuptias. Et propter quædam vitiorum genera virum invitum cogi, ut cum uxore divortium faciat.*

PRIVILEGE DV ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, A nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Prevoſt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé Louis de Compiegne noſtre Interprete ordinaire des Langues Orientales, Nous a fait remontrer qu'il a composé un livre intitulé, *Rabbi Moſis Majemonidæ ſecunda Lex ſive Manus fortis*, lequel il deſireroit faire imprimer & donner au public; Mais il craint qu'en ayant fait la dépenſe, d'autres le vouluſſent imprimer à ſon préjudice, s'il ne luy eſtoit pourvû de nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires, qu'il nous a tres-humblement fait ſupplier de luy octroyer. A ces causes, voulant favorablement traiter l'Expoſant, & luy donner moyen de recueillir les fruits de ſon labeur, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces preſentes, de faire imprimer ledit Livre par

tel Libraire ou Imprimeur, en un ou plusieurs tomes, volumes, marge, caractere, ainsi & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de sept années consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer; iceluy vendre & debiter par tout nostre Royaume. FAISONS défenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit; mesme d'impression étrangere & autrement, sans le consentement dudit Exposant, ou de ses ayans cause, sur peine de confiscation des exemplaires contrefaits, amende arbitraire, dépens, dommages & interests: A la charge de mettre deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, un autre en nostre Cabinet des Livres de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le sieur Seguier, avant de les exposer en vente, à peine de nullité des presentes; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons faire joüir l'Exposant & ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre l'extrait des presentes, elles soient tenuës deuëment signifiées; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires foy soit ajoûtée comme à l'Original. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes toutes significations, défenses, saisies, & autres actes requis & necessaires, sans demander autre permission: CAR tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 20. jour de Janvier l'an de grace 1669. Et de nostre regne le vingt-sixiéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, GARNIER.

Et ledit sieur de Compiegne a cedé son Privilege à François Muguet, Imprimeur du Roy & de M. l'Archevesque, pour le Traité De Connubiis, *suivant l'accord fait entre eux.*

Registré sur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de cette Ville, suivant l'Arrest de la Cour de Parlement du 8. Avril 1653. le 25. Janvier 1669. A. SOUBRON, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 5. *Aoust* 1673.

EX



EX SECUNDA LEGE
SEU
MANU FORTI
RABBI MOSIS MAJEMONIDÆ TRACTATUS
DE CONNUBIIS.

CAPUT PRIMUM.

I. ANTE datam Legem ſicubi viro mulier occurriſſet, atque eorum conſenſus ad matrimonium conſpiraret, eam illico vir domum ducebat, atque ſolus ſolam amplectebatur, tum deinde uxor ejus erat: ubi verò fuit data Lex, Iſraëlitis quidem præceptum eſt, ut ſi quis eorum ducat uxorem, is

ſibi primùm eam teſtibus adhibitis emat: tum pro uxoxe habeat. Namque hoc eſt, quod ſcriptum legitur: *Cùm emerit vir uxorem, & ingreſſus fuerit ad eam, &c.*

Deut. 22. 13. Concluſionis ratio tota in hoc uno verbo יקח vertitur, cujus ea vis eſt, ut etiam emere ſignificet.

II. Atqui hanc emptionem jubendo Lex ſancit. Tribus igitur rebus uxor comparatur, argento, inſtrumento ſeu perſcriptione, atque congreſſu: congreſſu quidem ac perſcriptione ex dicto Legis: argento autem inſtitutis Sapientum. Atqui hæc emptio paſſim * *Dicatio* dicitur, vel Sponſalia: & quæ mulier harum trium rerum aliqua fuit empta, hæc vel dicata, vel ſponſa dicitur.

* Neque abhorret iſta loquendi ratio à conſuetudine Latina: Nam & Junonem ita loquentem facit Virgilius; *Connubio jungam ſtabili propriamque dicabo.* Et Terentius ſcripſit: *Hanc operam tibi dico.*

III. Jam ubi fuerit empta mulier atque dicata, quanquam nondum eſt viro conjuncta, nec deducta domum, tamen emptoris ſit uxor; & ſi quis præter illum cum ea corpus miſcuerit, hunc morti Judices addicunto: atque emptor eam ſi repudiatam eſſe velit, repudij libello opus eſto.

Vide Deut. 22. 23.

IV. Item ante datam Legem cùm in virum mulier uſpiam incidiſſet, hic illam, ſiquidem cum eo concordaret, mercede data ſubegiſſet vel in media via, & abiſſet: data Lege porrò meretrix interdicta fuit: ſcriptum eſt enim: *Non erit meretrix è filiabus Iſraël.* Quiſquis igitur cum muliere cubuerit, non dicandi, ſed ſcortandi nomine, verberibus à Lege multatur, quippe qui meretricem habuerit.

Deut. 23. 17.

V. Quarum à congreſſu mulierum viros

Lex prohibet, atque etiam excidij pœna coërcet, quæ nominatim perſcribuntur ea Legis ſectione, cui nomen eſt, POST MORTEM, hæ videlicet illæ ſunt, quæ cùm *inceſtæ* nominentur omnes; tùm illarum unaquæque inceſta nuncupatur. Hujus generis ſunt mater, filia, ſoror, & harum ſimiles.

Hoc mihi vocabulum occurrit, quo Arijot illa quæ dicuntur ad Latinam conſuetudinem interpretarer.

VI. Præterea autem ſunt aliæ quædam mulieres, quas traditione accepimus interdictas eſſe, nimirum ex Sapientum inſtitutis, quæ utpote ab inceſtis illis alteræ, *Secundariæ* vocantur, atque earum unaquæque ſecundaria. Hæ ſunt numero viginti, quæ hîc deſcribuntur. Avia materna & perpetua iſta linea: nam & proavia, abaviaque ad infinitum interdictæ ſunt. Avi materni mater unica. Avia paterna & perpetua iſta linea, proavia atque abavia ad infinitum interdictæ ſunt. Avi paterni mater una. Patris noverca, cujus eſt etiam indefinita linea. Itaque & Jacobi uxor, patriarchæ illius noſtri, cuique noſtrûm interdicta ſit. Noverca matris una. Uxor patrui, ejus videlicet, qui patris fuerit uterinus. Uxor avunculi, nec quidquam refert utrùm hic ſit matris uterinus, necne ſit. Nurus filij & continua linea, nurus quoque pronepotis, abnepotis ad infinitum interdicta ſit, ut uxor cujuſvis noſtri ſecundaria fuerit Jacobo illi gentis noſtræ parenti. Nurus filiæ ſola. Filij è filia ſola neptis. Filij è filio neptis ſola. Itemque ſola neptis filiæ è filia. Sola neptis filiæ è filio. Privigni

ſola neptis è filia. Privignæ ſola neptis è filia. Soceri ſola materna avia. Socrus ſola paterna avia. Socrus avia materna ſola. Soceri avia paterna ſola. Secundarum igitur quatuor omnino ſunt, quarum interdictio nuſquam & nunquam deſinit. Avia materna & ſuperiores ad infinitum: Avia paterna & ſuperiores ad infinitum: Noverca patris & ſuperiores ad infinitum. Filij nurus & inferiores ad infinitum.

VII. Quarum verò conjunctione Lex interdicit quidem; verùm enim excidij pœna non coërcet, hæ *vetando interdicta* dicuntur. Item & interdictæ ſic, tanquam * meretrices: atque hujus generis ſunt novem iſtæ. Primùm ſummo ſacerdoti vidua muliere interdicitur: deinde muliere repudiata, meretrice, temerata interdictum eſt tam ſummo, quàm privato ſacerdoti. Iſraëlitico viro fœmina ſpuria: ſpurio viro Iſraëliticæ fœminæ. Et Iſraëliticæ fœminæ viro Ammonita, Moabitave. Et Iſraëliticæ fœminæ viro cujus ſint vulnerati, comminuti teſtes, atque etiam prorſus exectò. Rurſus viro interdictum eſt muliere jam à ſe repudiata, ſi ſecundum repudium alteri nupſerit. Fratria quæ nupſerit alieno viro, tum cùm eſſet etiam in poteſtate leviri: tum fœmina quæ levirum diſcalceavit, ea repudiatæ inſtar habetur, atque ſacerdoti interdicitur, nempe ex Sapientum inſtitutis. Jam ſpuriorum numero & loco ducuntur Nethinæi, tam viri, quàm fœminæ, quorum connubio Iſraëlitis inter-

* Iſta vox Hebraïca paululum corrupta eſt in editione Veneta in folio parvo, cum duobus Interpretibus, quæ excuſa fuit anno Do. 1574. & fere in volumina quatuor diſtinguitur. Eadem pura & integra extat in editione altera, item Veneta in folio magno, cum duobus ſimiliter commentariis, quæ excuſa fuit anno 1524. & fere in tomos diſtribuitur duos. His ego duabus editionibus uſus ſum ad converten-

dictum est à Sapientibus. Nam tractatu de concubitibus vetitis explicabimus Nethinæos, qui sint.

dum hunc tractatum. Itaque Lectorem velim esse monitum, ut si forte versio non respondeat harum editionum alteri, alteram consulat: neque enim ita rarò has inter se discrepare; nec ita leviter, quod exemplis deinceps aliquot confirmabo: porrò autem judicio permittam Lectorum & diligentiæ.

VIII. Porrò sunt quorum connubio à Lege interdictum est non prohibendo, sed imperando: horum sunt tria genera. Ægyptiorum enim atque Idumæorum stirpe una & item altera, seu mascula, seu fœminea universis Judæis interdicitur: & summo sacerdoti mulieribus virum expertis: atqui nec de illis est in Lege scriptum: *Non veniet, &c.* neque de his, *Non accipiet*: quoniam verò est in Lege, *Generatio tertia hisce venito in congregationem Dei*, inde colligitur primam ac secundam istorum stirpem non esse admittendam. Item quia de summo sacerdote in Lege dicitur: *Virginem ducet uxorem*, hinc efficitur, ut quæ fœmina virgo non sit, ab hoc non ducatur: quod autem elicietur è jusso vetitum, id pro jusso habebitur.

Deut. 28. 8.

Levit. 21. 15.

CAPUT SECUNDUM.

I. FOemina ab ortu usque dum compleverit duodecim annos ipsos, parva, pupula dicitur: cui id ætatis quamvis multa pubertas extiterit, nihil aliud, quàm verrucam ducitur esse. Eadem annos duodecim &

diem unum nata, vel eo plus, si locis inferioribus ad pubertatem constitutis pilos ediderit duos, puëlla vocari cœpit.

II. Nam hac ætate duos pilos efferre dicitur signum inferius. Post editum hoc inferius signum, puëlla vocatur in menses sex totos, quibus exactis porrò vel die primo pubes appellabitur: nihilo enim plus, quàm menses sex à puëritia ad pubertatem intercedit.

III. Quæ eadem si duodenos annos atque diem unum jam compleverit, necdum extulerit duos pilos, cùm sterilitatis appareant signa, pro parva tamen habetur vicesimum ad ætatis annum: quo si hosce duos pilos efferat, etiam puëllarum erit in numero sex menses totos, quibus elapsis demum pubes appellabitur.

IV. Si nata vicenos annos, triginta diebus minus, necdum fudit hos duos pilos, & omnia præbet sterilitatis signa, hæc quidem ad gignendum erit inhabilis: sin autem sterilitatis ei signa non exstiterint omnia, pro parva sit habenda, vel usque dum produxerit hosce duos pilos, vel quinque & triginta egerit annos & diem unum.

V. Sin hanc ætatem attigerit, necdum hos produxerit duos pilos, cùm nullum extiterit prorsus sterilitatis signum, tamen sterilis appellanda sit: unde cognoscitur huic sterili nullum esse puëritiæ tempus; quippe quæ protinus è parva pubes existat.

VI. Ergo in fœmina sterilitatis signa sunt ista: Si mammis sit destituta: si concubitus

ei ſit difficultas : ſi deſit illa muliebris alvi declivitas : ſi ſit denſa vox, ut à voce viri non internoſcatur. Jam puëlla, pubes, ſterilis pariter unaquæque major appellatur.

VII. Sunt etiam in partibus fœminei corporis ſuperioribus ſigna puëritiæ, quæ propterea ſuperna dicuntur : en illa. Ut uberum loco rugam contrahit, ſi manum in dorſo reponat : ut mammarum ſumma nigreſcunt : ut papilla uberis cùm fuerit digito depreſſa, tardiùs redit in locum : ut uberis ſumma papilla rimas agit, atque efficitur in hujus extrema parte parvus globulus ; at ab his, quos ego audivi, doctoribus ita definitur, ex quo naſi diffinditur extremum : Item ubi declinant ubera : itemque ex quo mammæ ſe ſe collidunt : ut circundatur corona, id eſt, ut contra ventrem exiſtit ſupra partem pudibundam tumens illa caro : ut caro hæc eadem compreſſa molleſcit.

VIII. Hæc igitur octo ſigna fœminæ duodecim annos, aut eo minùs natæ cùm extiterint ſeu ſingula, ſeu univerſa, nihil omnino movent : ſed parva habetur. Ubi duodecim annos & diem unum exegit, ſi compareat ſignum illud inferius, nullum iſtorum porrò curæ ſit. Sin autem inferius non extitit, & extitit unum ex iſtis, incertum eſt puëllane, an parva ſit, atque ad omnia in ſeveriorem partem judicatur : ſin autem hæc exiſtant omnia ſimul, iſta quidem ſine dubio major erit, ut ſignum inferius non appareat : neque enim fieri poteſt, ut cuncta illa cùm

exiſtant, hoc nondum emerſerit: verùm exortum continuò excidit.

IX. Fœmina ſi poſt exactos duodecim annos nullum omnino neque ſupernum, neque infernum edidit ſignum; ſed enim peperit, major fuerit. Nam ſignorum inſtar ſunt liberi.

X. Maſculus autem ex quo editur in lucem uſque dum complerit annum ætatis decimum & tertium, parvulus appellatur, item & pupulus. Atque hoc temporis curriculo quamvis ei multa pubertas extiterit, non ſignum, ſed verrucam eſſe putandum erit. Cùm verò partibus illis infernis ad pubertatem conſtitutis duo pilos ediderit natus decem & tres annos & diem unum, vel eo plus, major appellari cœpit atque vir.

XI. Qui ſi id ætatis attigit, necdum hoſce duos pilos extulit, tametſi ſpadonis ſigna præbet, tamen parvus habetur dum viginti natus ſit annos, triginta diebus minùs. Nam hanc ætatem ut attigit, & duos pilos non extulit, neque ad illam partem corporis inferiorem, neque ad barbam, ſi vel unicum præbeat ſpadonis ſignum, ſpadonum erit numero: Cæterùm jure majorum ad omnia. Sin nullum præbeat ſpadonis ſignum, etiam parvorum erit in numero tamdiu dum inferiori corporis idonea parte duo pilos ediderit, aut quinque & triginta annos, inſuper & diem unum exegerit.

XII. Hoc enim ætatis ſpatio qui non produxit hos duos pilos, is ſpado ſit; u tetiam ſpa-

donis ſignum præbeat nullum. Jam natus annos viginti, triginta diebus minùs, ſi duos pilos inferiori parte non ediderit, atque hos ediderit ad barbam, is cùm præbeat unum è ſignis ſpadonis, tamen non ducetur ſpadonum numero, ſed parvorum: idque tamdiu, dum cuncta extiterint ſpadonis ſigna, aut quinque annos exegerit & triginta, inſuper & diem unum.

XIII. Hæc igitur ſunt ſpadonis ſigna, ſi quis imberbis ſit, pilo tenui, levi carne: ſi facit urinam nihil ſpumantem, eandemque reddit non fornicatam: ſi ſemen obſcurum eſt, urina non aceſcit: ſi lavet die brumali, nec caro vaporem exhalat: ſi vox ſit adeo mollis, ut à fœminea non internoſcatur.

XIV. Atque iſte quidem vulgò ſpado dicitur: puërum verò, cui penis, aut teſtes ſunt execti, dirupti, contuſi, ita, ut fit à gentibus, eum hominum manu caſtratum vocant. Is natus tredecim annos & diem unum, majorum eſt in numero, quippe cùm nullum editurus ſit ſignum unquam.

XV. Puër tredecim annorum atque unius diei, ſi necdum tulit ſignum illud inferius, cùm ſuperiora emerſerint omnia, incertum eſt ſitne major, necne ſit. Quòd ſi locus inferior non ſit ſpectatus cùm appareant ſuperiora pubertatis ſigna pro majori habetur.

XVI. Jam qui in puëro, puëlla, paſſimque requiruntur duo pili, eorum iſte modus eſt, ut ad radicem flectatur extremum. Atque ex quo ſic creverunt, ut tolli forficis acie

possint, dum eò veniant, ut ad radicem flecti queat extremum, quovis loco de ipsis in severiorem partem judicatur. Itaque in severitatem etiam tam mares quàm fœminæ majores habentur, si his illi pili duo creverunt eò, ut forficis acie possint tolli, & iidem etiam in severitatem minores habentur, siquidem non eò venerunt pili, ut eorum ad radicem possit contorqueri caput.

XVII. Atqui hi duo pili corporis ut in parte pudibunda existant, necesse est, quæ quidem ad exhibendum signum tota est idonea supra, infra, atque etiam membro seminis in ipso. Jam hi duo pili simul loco sint in uno necesse est: item ad radices ut lacunæ sint: quanquam si lacuna sint in una ambo, signum est satis idoneum. Quòd si lacunæ duæ existant, altera propter alteram, quanquam nullus in ipsis pilus inest; nihilominus certum est signum: constat enim lacunam sine pilo esse nullam: verùm pili qui fuerant in illis, exciderunt.

XVIII. Fœmina si duos pilos edidisset intra duodecimum ætatis annum: si mas intra decimum & tertium, in utroque, sicut ante posui, pro verruca habetur. Iidem igitur post annum decimum & tertium in masculo, in fœmina post duodecimum si loco remansissent, signo non essent.

XIX. Tum videlicet cùm intra præfinitum tempus inspicerentur, atque verrucam esse, exploratum atque compertum esset. Si verò postea demum inspiciantur, atqui hi duo pili

reperiantur, vero pro ſigno ducantur. Nam fortè venerunt ante tempus, atque adeò verruca eſt, id verò nunquam dicitur.

XX. Fœmina cùm perluſtratur, ſive intra tempus, hoc eſt, duodecimo anno toto, vel eo citiùs, ſive poſt tempus illud conſtitutum, mulieres adhibeantur idoneæ & dignæ quibus credatur. Etenim vel uni mulieri hac de re fides habeatur in utramque partem.

XXI. Jam anni qui commemorantur in maſculo, fœmina, æſtimationibus animantium, atque hominum dedicatorum, cæteriſque locis merè lunares, aut ſolares non ſunt: ſed quales in ratione faſtorum abs Senatu conſtituuntur, ſimplices atque intercalares ſic, ut tractatu de CONSECRATIONE CALENDARUM diſputavimus. Nam hujuſmodi anni numerantur in omni ratione Legis.

Ex Hebræo in Latinum converſus hic eſt à nobis, atque in lucem editus.

XXII. De annorum verò numero nec mulieribus, neque propinquis creditur: creditur autem viris alienis duobus, ſi modo ſunt idonei, qui teſtimonio dicendo adhibeantur.

XXIII. Patri, cùm ita dicat, filius iſte meus natus eſt novem annos & diem unum, vel hæc filia mea tres annos & diem unum nata eſt, creditur pro ratione ſacrificiorum: pro verberum, reliquarumque pœnarum non creditur. Idem cùm ait filius iſte meus egit tredecim annos & diem unum; vel filia iſta mea duodecim annos & diem unum habet, creditur ei quidem ad rationem votorum,

Neque enim ad facienda ſacrificia, & pœnam ſubeundam apta eſt omnis ætas, qua de re alio loco agetur.

æſtimationum, anathematum: ad verberum & reliquarum pœnarum non item.

XXIV. Cui virilis ſimul & natura fœminea exiſtit, is androginus ferè vocatur, atque incertum eſt utrùm vir, an fœmina ſit: neque enim ſignum eſt ullum, unde certum cognoſcatur unquam ſitne vir potiùs, quàm fœmina.

XXV. Et cui neutra exiſtit natura, ſed eſt omnino obthuratus, is obſtructus dicitur, qui itidem ambiguus eſt. Jam ſi diſcedat obſtructio pro viro ſi vir inveniatur; ſi fœmina, pro fœmina habebitur. Atque obſtructus ille atque androginus duodecim annos & diem unum nati, majorum in numero ducuntur: de quibus ego ubique diſputo.

XXVI. Jam ſurdus & ſurda, de quibus paſſim agitur, homines ſunt muti juxta atque ſurdi. Nam captus auditu ſi loquitur, contrave ſi loquendi facultate carens habet ſenſum aurium, cæterorum hominum eſt inſtar. Vir & fœmina mente integri, id eſt, qui neque ſurdi ſunt, neque dementes, ſani vocantur.

XXVII. Itaque numero viginti ſunt ea, quorum ſignificationem hiſce duobus capitibus expoſuimus nomina: nempe Dicatio, Inceſta, Secundaria, interdicta Vetito, interdicta Juſſo, Parvula, Puëlla, Pubes, Sterilis, Major, Signum inferius, Signum ſuperius, Parvulus, Spado, manu hominum Caſtratus, Major, Androginus, Obſtructus, Surdi, Sani. Hæc igitur nomina tibi proponas ſemper, atque omnem eorum ſignifica-

tionem diligenter attendas, ut quo loco cunque aliquod eorum commemoremus, non explicatu opus ſit uſque.

CAPUT TERTIUM.

I. UT igitur mulier dicabitur? Nimirum ſi quis eam argento ſibi dicarit, id quidem minus non erit, quàm aut argenti nummus, aut quod valet tantundem. Et huic vel ita ducturus eſt, Ecce tu mihi dicata ſis; vel, Ecce tu mihi deſponſata ſis; vel, Ecce tu mihi ſis uxor hac re, atque illam ei dabit teſtibus adhibitis. Jam vir erit proferens iſta verba, ex quibus intelligatur eam ſibi mulierem in uxorem emere. Item argentum illi dabit ipſe.

II. Nam argentum iſtuc ſi dediſſet viro mulier, ſimul & ipſa viro diceret, En ego tibi dicata, En ego tibi ſponſa, En ego tibi uxor, vel quamvis emendi formulam, nequaquam dicata ſit. Item ſi viro dediſſet argentum mulier, & verba illa vir proferret, nulla ſit dicatio: Sin autem vir argentum dederit, & verba ſit effata mulier, dicatio ſit incerta.

III. Si quis autem perſcriptione ſibi dicarit, is in charta, teſta, folio, vel quavis alia re ſcripſerit, Ecce tu mihi dicata, Ecce tu mihi ſponſa, & horum ſimilia: tum præſentibus teſtibus id ei dederit.

IV. Et tanquam repudij libellus, ſic hoc etiam ejus, quæ dicatur, mulieris nomine

ſcriptum eſſe neceſſe erit : porrò autem niſi voluntate mulieris non ſcribatur. Quòd ſi ſcriptum præter voluntatem mulieris fuerit, aut non fuerit ejus nomine ſcriptum, tametſi poſtea volenti dedit coram teſtibus, dicata tamen non erit.

V. Jam qui conjunctione ſibi fœminam dicaverit, hic ei dixerit, Ecce tu mihi dicata; vel, Ecce tu mihi deſponſata; vel, Ecce tu mihi uxor hac conjunctione fueris, aut quid horum ſimile : tum teſtibus præſentibus aliquò ſe cum ea receperit, continuóque conjunxerit. Etenim qui ſibi fœminam iſta ratione dicarit, is fere conjunctionem perfectam eſſe cupit : itaque cùm fuerit iſtæc abſoluta conjunctio, tum demum uxor erit dicata.* Et cuicui modi conjunctio fuerit, ſeu ſecundum, ſeu præter conſuetudinem ritè mulier dicata ſit.

* Hinc uſque ad proximum articulum quæ conſequuntur extant in eo exemplari quod Venetiis 1524. excuſum eſt in folio magno : Deſideratur in exemplari quod ibid 1674. editum eſt in folio parvo.

VI. Atque verba quæ dicando vir effatur, ea oportet ita ſonent, uxorem eſſe viro emptam, non contra emptum uxori virum : ut ſi quis mulieri aut dixiſſet, aut in illo, quod dedit, inſtrumento ſcripſiſſet, En ego ſum maritus tuus, En ego ſponſus tuus, En ego vir tuus, & horum ſimilia, omnino dicatio nulla ſit. Si dixiſſet, ſcripſiſſet, En tu mea uxor, En tu ſponſa mea, En tu empta mihi, En tu mea, En tu ducta mihi, En tu deſponſata mihi, En tu in poteſtate mea, En tu conjuncta mihi, & horum ſimilia, iſta quidem ritè dicatur.

VII. Sin ita dixiſſet, vel ſcripſiſſet, En tu

propria mihi: En tu addicta mihi: En tu adjutorium meum: En tu contra me: En tu costa mea: En tu seclusa mea: En tu loco meo: En tu vincta mea: En tu captiva mea, ista de dubio dicata sit: modò tamen de dicandi consilio priùs cum fœmina egerit; alioquin ista quidem verba nihil moveant.

VIII. Atque hoc viro concessum est, ut mulierem, quo illa cunque sermone utatur, eo sibi dicet, & verba ejusmodi proferat, ex quibus intelligatur hanc sibi mulierem emptam esse sic, ut supra posui. Si quis de dicatione cum muliere egerit, eamque annuentem protinus sibi dicarit, non quod huic quidquam explicarit, dixeritve: sed quod in manum quid dederit, aut cum ea corpus miscuerit, siquidem hac de re inter se egerant, satis sit: neque porrò opus est quidquam explicari. Eadem est ratio testium, qui aut ad dicationem adhibeantur, aut ad repudium: nihil enim necesse est, ut hisce dixeris, vos appello testes; sed si præsentibus illis aut tibi dicaris mulierem, aut repudiaris, ritè dicata, repudiataque sit.

IX. Si quis mulieri dixerit, esto dicata dimidio mihi, ritè dicatur; quippe quod idem est, ac si dicat, esto uxor mea, tu, & item altera: ita fit enim, ut duntaxat dimidia viri pars ad ipsam pertineat. Sin autem ita dicat, esto pars tui dimidia dicata mihi, nullatenus dicata sit: id enim omnino fieri non potest, viris ut duobus simul eadem mulier uxori sit. Item si quis mulieri dixerit:

esto mihi dicata, item & huic alteri, nullatenus dicata sit.

X. Si quis mulieri ita dicat, esto pars tui dimidia nummo dicata mihi, & nummo dimidia pars altera: si dicat, esto dimidia pars tui dicata mihi dimidio nummi, & nummi dimidio pars altera dimidia tui, ritè dicatur. Quòd si mulieri quis ita dicat, esto dicata mihi nummo hodie dimidia, & dimidia nummo in crastinum: vel ita, duæ dimidiæ partes tui nummo: sint duæ filiæ tuæ nummo duobus filiis meis: sit tua mihi nummo dicata filia, simul & empta bos: filia tua, fundusque tuus sint nummo mei, hisce formulis de dubio facta sit dicatio.

XI. Filiam pater præter voluntatem ejus dicaverit dum parva sit; itemque dum puella dicitur in ipsius potestate fuerit: huc enim
Deut. 22. 16. spectat Legis illud, *Filiam meam dedi viro isti uxorem.* Atque dicationis pretium patris est. Ejusdem est quod illa reperit, quod manibus exercet, quod pro donatione propter nuptias ei promissum à viro fuit, si post sponsalia repudietur, aut vidua relinquatur: omnia patris sunt dum filia pubes evadat. Itaque pater recipit dicationem filiæ cùm primùm nata sit usque dum pubes fuerit. Etenim pater si cui filiam dicarit surdam, insanam, ritè viro conjucta sit. Atque nata tres annos & diem unum conjunctione dicabitur, si modò pater annuat. Minorem enim si pater alicui conjunctione dicasset, nullatenus dicata sit.

XII. In

XII. In filiam verò puberem patri poteſtas nulla. Hæc enim reliquarum eſt ſimilis mulierum, quæ niſi voluntate ſua non dicantur. Et quam pater collocarit, ſi viduetur vivo patre, vel repudietur, ea quamvis adhuc parva ſui juris ſit: nam ut filia nupſerit, nihil in eam porrò patri poteſtatis erit unquam.

XIII. Si quæ dicaretur ante puberem ætatem inſciente patre, nequaquam rata fuerit ea dicatio; ut etiam poſthac pater ei placatus efficeretur: Etenim ſi fuerit ab iſtiuſmodi dicatione viduata, vel repudiata, non ideo ſacerdoti ſit interdicta. Atque etiam dicationem iſtam ſuſtulerit tum ipſa, tum parens: ſic enim quæ dicatur ſive præſente, ſive abſente patre, nullatenus dicata ſit.

XIV. Filia cùm ambigitur utrùm pubes ſit, tum ſive pater eam dicaverit inſcientem, ſive ſe ipſa dicarit clam patre, de dubio dicata fuerit, atque adeo dubij ergo repudio opus eſt. Omnino viro eſt integrum mandare cuipiam, ut ſibi uxorem dicet ſeu certam quandam, ſeu de cunctis aliquam: tum etiam fœminæ majori procuratorem conſtituere, qui id, quo dicatur, recipiat tum à certo quodam viro, tum etiam cunctorum ab aliquo. Porrò patri licet etiam mandare cuipiam, uti recipiat dicationem filiæ quæ poteſtate in ipſius ſit. Et filiæ parvæ pater dixerit, abi receptum dicationem tuam.

XV. Cùm igitur cuipiam mandetur dicationem recipere, præſentibus teſtibus mandetur neceſſe eſt: vir autem ſi cuipiam man-

dat, ut ſibi uxorem dicet, nihil opus ſunt teſtes. Nam in viri mandato nullus eſt alius teſtimonio locus, niſi rei veritas ut declaretur: ergo ſi rem profiteatur & is cui mandata fuit, & qui mandarit, ſanè teſtes neceſſarij non ſunt. Similiter judicandum erit de nuntio qui remittitur uxori, atque procuratore, cui ſacra illa mandantur à frugibus ſegreganda, & horum ſimilibus. Procurator enim hominis inſtar eſt ipſius, atque adeo teſtes non ſunt opus.

XVI. Atque procurator ipſe quoque teſtis erit idoneus. Si quis igitur uxoris ſibi dicandæ negotium mandaverit duobus, iidem & procuratores & teſtes eam illi dicaverint: nec verò neceſſe ſit, ut ad dicationem illam duo teſtes alii adhibeantur.

XVII. Omnes ſunt idonei, quibus negotium mandetur, præter * ſurdos, dementes, parvos, qui non ſunt animi compotes: & ethnicos, qui non ſunt participes fœderis. Nam ex hoc Legis dicto: *Sic offertote vos quoque*, inſuper diſcitur & procurator, ut ſententia loci ſit iſta. Quemadmodum vos participes eſtis fœderis, ita procuratores quoque fœderis ſint participes, ſic; ut prorſus excludantur ethnici. Servis enim rei pecuniariæ procuratio committetur, non item dicationis atque repudij; quippe quos repudij, dicationiſque leges non tenent.

* Dictum eſt ante de his agi ſurdis, quos loquendi vis pariter & audiendi deficiat, qui paſſim Hebræis dementium ſunt inſtar.

Deut. 28. 18.

XVIII. Cùm igitur viri procurator uxorem dicarit, huic ille ita dixerit, *Eſto dicata huic argento iſto*, vel *perſcriptione iſta*. Sin au-

tem procurator ſit mulieris, qui dicationem recipiat, tum illi vir ita dicat: *Eſto hæc abs qua legatus es dicata mihi:* cui ille, *Hanc ego tibi dico*, vel, *Hanc ego tibi uxorem do*, & horum ſimilia. Eodemque modo ſi quis ſibi dicat uxorem per hujus patrem, patri dixerit, *Eſto illa tua mihi dicata filia:* tum pater illi, *Hanc ego tibi dico.* Quòd ſi pater, procuratorve reſpondeat, *ita*, ſatis erit: immo & ſi ſileant: ſi quis enim patri, procuratorique, dum hac de re agant, dederit aliquid, idemque non modò nihil explicet, ſed ne dicat quidem; tamen ſatis firma dicatio ſit. Quòd ſi quis per procuratorem vel patrem ſibi dicarit uxorem perſcriptione, hanc niſi ſciente & volente patre procuratoréque non fecerit. Nam ſic ſe habet totum hoc uxoris dicandæ negotium, ut cum uxore vir, ejuſque procurator itidem, ut cum procuratore aut patre mulieris agat.

XIX. Multo verò vir melius fecerit ſi per ſe ipſe, quàm ſi per procuratorem ſuum ſibi dicarit uxorem: item & uxor ſi per ſe ipſa, quàm ſi per procuratorem ſuum dicata fuerit. Et quanquam patri conceſſum eſt, ut dicaret filiam adhuc parvam, ſic facere neminem decet. Etenim ſancitum à Sapientibus eſt, ut ne quiſquam filiam parvam dicaret, niſi ſi jam adulta diceret, hunc ego virum volo: nec verò vir parvam ſibi dicare putet decere: neque porrò ſibi dicarit uxorem, quin viderit, atque etiam idoneam repererit: ne forte poſthac diſplicenti nuntium remittat,

aut etiam cum invisa sese conjungat.

XX. Est quidem è lege dicare sibi mulierem concubitu: item & perscriptione. Nam si perscriptione repudium efficitur, quod
Deut. 24. 1. quidem apertè Lex: *Et scribet ipsi libellum repudij*, perscriptione itidem perficietur conjugium: Atque etiam argenti ratio est illa quidem è Lege: verumtamen datur hîc interpretum explicationi locus: hoc enim Legis
Deut. 22. 13. dictum: *Cùm acceperit vir uxorem*, ita sunt interpretati Sapientes, ut vellent acceptionem istam argento fieri, quoniam & in Lege
Gen. 23. 13. habemus: *Dabo pecuniam, accipe eam à me.*

XXI. Sic enim est ex rei veritate: verùm jampridem hæc communis est omnium Israëlitarum consuetudo, ut argento, vel argenti pretio dicent mulierem, atque etiam perscriptione, si libeat, non item concubitu si res sit integra. Quòd si quis sibi mulierem concubitu dicasset, verberibus coerceatur de rebellione: id adeo, ut Israëlitas ea res ne pronos ad libidines reddat: nec verò minus rata atque firma dicatio sit.

XXII. Nam si quis mulierem haud ante desponsatam dicaverit; item si quis in medio foro dicarit, cùm sit dicatio stabilis, nihilominus de rebellione verberibus multatur, ea re, ne via muniatur ad impudicitiam, neu dicata mulier meretricis sit similis ejus, quæ fuerat ante datam Legem.

XXIII. Si quis sibi mulierem dicarit sive per se ipse, sive per procuratorem, primùm pro solemni præceptorum exequendorum

more aut ipſe, aut ipſius procurator Deum veneretur neceſſe eſt: tum deinde dicabitur. Quòd ſi quis ſine prece dicaſſet, nullam ſanè poſthac adhibebit. Nimirum hæc eſt illa ſupervacanea precatio; ſiquidem tota jam tranſacta res eſt.

XXIV. Quænam igitur erit iſta precatio? Nempe: *Laus tibi Domine, Rex mundi, qui nos initiaſti præceptis tuis, & juſſiſti nos ab inceſtis abſtinere: idemque nobis interdixiſti ſponſatis, & conceſſiſti nuptas thalamo, & dicatione: Laus tibi, Domine, qui ſanctificas Iſraëlitas.* Nimirum hæc eſt illa ſponſaliorum gratulatio, cui quidem faciendæ vini vel ſiceræ cyatum populus ſolet adhibere. Itaque ubi vinum ſuppetit, primùm de vino fiet Deo gratulatio: dein de ſponſalibus: tum erit facienda dicatio. Ubi vinum & ſicera deſit, hæc ſeparatim fiet ſponſaliorum gratulatio.

CAPUT QUARTUM.

I. MUlier niſi volens nunquam dicabitur. Si quis igitur invitam ſibi dicarit, dicatio nulla ſit. Si verò ſibi dicare mulierem vi cogatur vir invitus, firma fuerit dicatio. Viro licet, ut ſimul unà plures ſibi dicet mulieres hac lege, ut illarum unicuique ex argento, ſi tamen argento fiat dicatio, nummus obtingat. Licet ut harum una pro cunctis, aut alius de voluntate ipſarum dicationis pretium accipiat.

II. Si quis ſibi mulierem dicaſſet, idemque de hujus voluntate dicationis pretium mulieri cum ipſa conſuetudine conjunctæ dediſſet in manum, dandoque pretio huic ita diceret, Et tu etiam, vel, Sic & tu, vel ſimile quid, ambæ ritæ dicatæ fuerint. Sin autem cùm pretium in manum daret, huic ita diceret, Et tu; iſta quæ dicationis acciperet pretium, de dubio dicata ſit: nihil enim fortaſſis aliud voluit, quàm pertentare animum ejus, qualis eſſet: ut hic eſſet ejus ſenſus, Et tu quid ais hac de re, ipſaque pretium dicationis accepit ideo, quia rogaret perſpiciendi animi causâ: itaque de * dubio dicata iſta fuerit.

* Horum verborum hæc eſt ſententia, mulierem dubij causâ jugali vinculo teneri ſic, ut niſi libello repudij exolvi nequeat, & alia porrò dicatione opus ſit ut huic eidem domum ducatur. Hoc ipſum in textu paulò poſt explicabitur.

III. Sin autem ita diceret, ſis iſto mihi dicata denario, eaque acceptum denarium aut in conſpectum ejus projiceret, aut in ignem, aut aliò, ubi interiret, dicatio nulla ſit. Eidem ſi mulier reſpondeat, da denarium patri, da patri tuo, viro illi, iſque dederit, nequaquam dicata ſit. Cùm verò mulier ita dicat, da denarium huic, qui meo nomine accipiat, tum ſi dedit, ritè dicata fuerit.

IV. Sin mulier dicat, repone denarium in ſaxo, nullatenus dicata ſit: eadem dicata ſit, ſi ſaxum hoc ipſius fuerit: ſin autem ſaxum hoc commune ſit amborum, mulier de dubio dicata fuerit. Si quis mulieri dixerit, hoc tu mihi paſtillo panis dicata eſto, eique reſpondeat, hunc tu da pauperi, cùm pauper iſte propius à muliere ſit, dicata tamen

non eſt. Nihilo ſecius ſi dixerit, tu cani da paſtillum: Si verò mulieris ſit propria canis, dicatio rata ſit. Cùm verò mulierem morſura canis aliena perſequitur, tum ſi dixerit, da paſtillum iſti cani, de dubio dicata ſit.

V. Si quem fructus, vaſa, & horum ſimilia vendentem mulier adiſſet, eique dixiſſet, da mihi ex iſtis aliquid: tum huic ille, tu mihi dicata fueris ſi dedero, eaque reſpondiſſet, ſic, atque ille dediſſet, iſta quidem eſſet ritè dicata: Sin autem mulier ei reſpondiſſet, ex iſtis da mihi, projice mihi, aut alia hujuſmodi verba, quorum vis eſſet, ne tu hiſce rebus ad ludendum me abutare; da tantùm, atque dediſſet, nequaquam dicata ſit mulier. Similiter ſi cui vina potanti mulier diceret, da mihi cyatum unum; & huic ille, tu mihi dicata fueris ſi dedero; ſi reſpondiſſet mulier, tu potandum præbe potum, vel potum da, porrige, nulla dicaretur: neque enim iſtis vocibus videtur eſſe ſubjecta vis alia, quàm hæc, tu mihi potum præbe tantùm, nec ullum alium ludum mihi ludere ſuſcipias.

VI. Si quis ſibi mulierem dicaverit uno duntaxat adhibito teſte, nihil nos ejus dicatio moveat, cùm ambo rem profiteantur: multò etiam minùs ſi quis dicaret nullis adhibitis teſtibus. Si quis mulierem ſibi dicarit adhibitis ejuſmodi teſtibus, quibus Lege non eſt teſtimonij dictio, dicatio nulla fuerit: ſin eos adhibet, quibus Sapientum autoritate non eſt teſtimonij dictio, aut quibus Lege ſit teſtimonij dictio, necne, non liquet, is

si velit eam uxorem ducere, rursus coram idoneis testibus dicabit: Si nolit, repudij libellus ab eo mulieri opus est, vel propter incertam Legem, vel propter Sapientum certa vetita. Immo verò si dicationem mulier factam esse neget, aut arguat mendacij testes, nihilominus repudij libellum invita cogitur accipere. Atque eadem est omnium dicationum incertarum ratio. Si velit eam uxorem ducere, de integro firma dicatio fiet: si nolit, propter dubium mulieri ab eo repudij libellus opus est.

VII. Parvus si quam sibi dicarit, nulla dicatio fuerit: Major autem si sibi dicarit parvam, videlicet eam, quæ vel fuerit parentibus orba, vel patris è potestate excesserit, si pauciores quàm sex annos nata fuerit, quamvis sit *eloquij mystici gnara, prudens, intelligens*, nullus est dicationi locus, adeoque ne renuat quidem necesse erit. Sin annos habeat decem, aut eo plus, quamvis adhuc rudis, siquidem libenti & volenti facta sit dicatio, satis erit dicata ad renuendum. Verùm ab sexto ætatis anno ad decimum spectandus erit ejus captus, si rationem nuptiarum, atque dicationum penitus cognitam ac comprehensam habeat, renuat necesse est: sin minus, nec ad renuendum quidem satis erit dicata, nec verò renuat, necesse est.

Hæc Isaiæ Prophetæ verba hic Scriptor noster à genuino sensu deflexit ad rem suam, ut his significaret virginem parvam, quæ vim his vocibus, dicationi, sponsalibus, nuptiis, matrimonio subjectam jam satis intelligeret.

VIII. Quid igitur sibi vult, satis erit dicata ad renuendum? Nempe si posteaquam sic fuerit dicata cum isto viro manere nolit, necesse est, ut præsentibus duobus testibus

renuendo dicat, hunc ego nolo: quo facto & sine repudij libello discedit, ut tractatu de repudiis disputabitur. Atque hæc illa est renuens quæ vocatur. Quod autem sine repudij libello discedat, hæc est causa & ratio, quoniam ejusmodi dicatio è Lege quidem nulla sit: sedenim ex autoritate Sapientum suspenditur; ut si cum hoc viro maneat usque dum adoleverit, tum hujus incipiat stabilis uxor esse viri, nec adultam ei de integro dicari oporteat. Sin autem cum viro ætatem agere nolit, renuat, atque sine libello discedat.

IX. Surdus si duxerit uxorem sanam: si viro sano surda nupserit, itidem è Lege dicatio nulla fuerit: sed hanc fixam voluerunt esse Sapientes. Itaque si vir sanus hominis surdi sanam uxorem sibi dicarit, ista scilicet huic alteri propria, ritéque dicata fuerit; adeoque repudium hic ei renuntiabit, atque erit suo illi viro surdo licita. Demens autem homo si sibi sanæ mentis uxorem dicarit: rursusque uxorem si sibi dicarit insanam vir animi compos, dicationes istæ nullæ sint, nec è Lege, nec ex autoritate Sapientum.

X. Si sibi dicarit uxorem sive spado, sive hominum manu castratus: itemque si mulier ad partum inhabilis dicata fuerit, istæ quidem dicationes firmæ, ratæque fuerint.

XI. Obstructus, androginus sive sibi dicarint uxorem, sive viro dicati fuerint, hæ sint incertæ dicationes, atque dubij causâ repudio opus est.

XII. Si quis ex inceſtis aliquam ſibi dicarit, infecta res eſto: neque enim dicationi locus eſt in inceſtis. Non eſt ita de muliere menſtruali: hanc enim ſi quis ſibi dicarit, firma, fixa, rataque dicatio fuerit: verùm ita facere non decet.

Quamvis & hanc ad tempus viro tangere non liceat.

XIII. Uxor inſpectante viro ſi manum porrexerit, atque receperit ab altero dicationem, hæc illi alteri dicata ſit: habetur enim fides ei, quæ coram viro præſenti præſens dicat, tu me miſſam feciſti: ſic enim exiſtimandum eſt non eſſe mulierem præſente viro impudentem. Si quis autem uxorem alterius ſibi dicarit abſente viro, dicatio tamdiu ſit irrita, dum illa probarit ſe fuiſſe repudiatam ante, quàm dicationem iſtam recepiſſet. Etenim abſente viro mulier verò facit impudenter.

XIV. Si quis ſibi dicarit aut ex ſecundariis aliquam, aut ex his quæ ſunt interdictæ vetando, jubendove: item levir ſi ſibi dicarit æmulam fratriæ, iſtæ quidem dicationes ratæ ſunto: verùm * fratria ſi viro ſit alieno dicata, ejus eſt dubia dicatio: nimirum id Sapientibus non liquet, ſitne tanquam in aliis vetando interdictis mulieribus, itidem in fratria dicationi locus; an velut inceſtæ dicatione prorſus excludatur omni. Cùm igitur ſit interdictum, ne ex iſtis ulla ducatur domum, tamen eas libello repudij miſſas facere neceſſe eſt.

*Lex eſt enim, ut hæc emortui viri fratri nubat.

XV. Si quis ſibi mulierem dicarit ethnicam: item ſi quis ſervam, dicationes nullæ ſunto;

ac post dicationem istæ mulieres eædem atque antea manento. Similiter homo ethnicus servus si dicarit sibi Judæi filiam, nulla sit dicatio. Si sibi Judæam mulierem dicarit Judæus apostata, quanquam sponte sua idola colit; nihilominus est ejus rata dicatio, adeoque * mulieri repudium ab eo remittatur necesse est.

* Cum hoc enim ætatem agere mulierem Judæam minimè convenit.

XVI. Si quis sibi dicarit mulierem eam, quæ sit dimidia serva, dimidia libera, non erit firma dicatio, usque dum mulier omnino sit manumissa: ubi verò fuerit, firma dicatio evaserit itidem, ut dicatio parvæ virginis statim, atque adolevit, neque eam opus est dicari rursus. Hanc eandem si post istam manumissionem sibi dicarit & alter, utraque dicatio dubia fuerit.

XVII. Atenim Lege commemoratur desponsata serva: scilicet ea, quam ex dimidia parte servam, & ex dimidia liberam sibi dicarit servus Hebræus: si quis autem ex dimidia parte servus, ex dimidia liber sibi dicarit liberam, ista dicatio libera fuerit.

XVIII. Homo ebrius si quam sibi dicarit, rata, fixa, firma sit dicatio, quanta quanta fuerit ebrietas. At verò si venisset eò ebrietatis, quò Lotus ille quondam, esset ejus irrita dicatio, atque hac re quiesceretur.

XIX. Si quis sibi mulierem pecuniâ minori nummo dicarit, nequaquam erit dicata: Si quis mulierem sibi dicarit cibo, vase, simili que re, cùm sit minoris, quàm nummi; tamen est dicata de dubio, adeoque repudio

opus eſt, eam ob cauſam quia fortaſſis alio loco res iſta numi ſit. Ex quo facilè cognoſcitur ſi quis alia re, quàm argento ſibi mulierem dicarit, ratam eſſe dicationem, ſi res iſta in eadem regione nummo valeat: ſin minus, dicationem eſſe dubiam. Ac mihi quidem ita videtur, ſi quis mulierem ſibi dicarit cibo, olere, aut horum ſimili, quod durare diu nequit, id hoc eodem loco ſi non ſit nummi, omnino dicationem eſſe nullam; quippe quia res ejuſmodi non poſſit aliò deportari, quin corrumpatur & intereat, nec jam nummi ſit. Quæ quidem eſt exquiſita ratio, adeoque idonea, qua ducantur omnes.

XX. Si quis ſibi mulierem pecunia minori nummo, vel nummo duas unà mulieres ſibi dicaſſet, quamvis lauta poſthac eiſdem munera miſiſſet, nulla tamen eſſet dicatio. Eadem ratione ſi quis mulierem ſibi dicaſſet parvus, cùm adultus ei munera miſiſſet, nihilomagis dicata eſſet: munera enim ob antecedentem dicationem mitterentur, quæ nulla fuiſſet.

XXI. Qui mulierem ſibi dicat argento, vel perſcriptione, nihil opus ut ei det in manus: eſt enim, cui libeat, projiciendi poteſtas. Si quis igitur id, quo dicat, mulieri projiciat in manum, aut in gremium: ſi projiciat ejus in aream, aut in agrum, ritè dicata ſit. Si quis cùm in loco fœmina ſtaret eo, qui communis amborum eſſet, id, quo hanc ſibi dicaret, volenti projiceret ita, ut mulieri nec in manum, nec in gremium veniret, iſta eſſet dubia dicatio. Atque etiam tum, cùm viro fœ-

mina dixit, depone mihi id, quo tibi me dicas, loco in isto, tum etiam erit dubia dicatio, siquidem locus is communis amborum fuerit.

XXII. Si mulieri vir, cùm starent ambo vel in loco publico, vel in privato quidem; sed neutrius eorum proprio, projiceret id, quo illam sibi dicaret, nulla esset dicatio si res ea propius ad virum decidisset: contraque rata dicatio foret, si res illa accidisset propius ad fœminam. Quòd si cecidisset in medium, aut incertum esset à viro, an à muliere propius abesset, tum etiam res ante perisset, quàm mulieri veniret in manus, dubia dicatio existeret. Quid igitur sibi vult, si propius à viro, si propius à fœmina? Nempe quidquid vir custodire possit, non possit fœmina, id esse propius à viro censetur: contraque quidquid possit fœmina, non possit custodire vir, hoc esse propius à fœmina dicitur: in medium quod ambo ex æquo possint, vel non possint custodire.

CAPUT QUINTUM.

I. SI quis uxorem sibi dicat ea re, cujus omnino omni fructu nobis interdictum est, ut pane fermentato ad pascha, lacteque condita carne, & cæteris, quorum itidem omni ratione fruendorum prohibemur, nequaquam erit dicata mulier. Et verò si res ea fuerit, cujus fructu interdicit tantùm auto-

ritas Sapientum, velut eodem pane fermentato ad horam diei ſextam decimæ & quartæ Martis, nihilo magis erit dicata mulier.

II. Etenim ſi quis ejuſmodi rem, cujus omnino omni ratione fruendæ prohibetur, per nefas vendiderit, atque argento inde redacto mulierem ſibi dicarit, ritè dicata ſit. Excipe tamen rem idoli, cujus etiam argento ſi quis uxorem dicarit, nulla ſit dicatio. Nam argento ex idoli re redacto item, ut ipſomet idolo frui vetamur. Vel ab idoli buculis ſtercore ſi quis uxorem dicarit, nequaquam dicata ſit. Quidquid enim idolo ſit, ejus interdicitur uſu: habemus enim in Lege, *Nec adhærebit in manu tua quidquam de illo anathemate:* Si quis autem uxorem ſibi dicarit ſtercore bovis ejus, qui lapidibus percutiendus eſt, ea verò dicata erit. Nam ſi bovis, qui lapide percutiatur, uſus ſit interdictus: at certè non eſt ſtercoris ejus ideo, quia ſtercus ad bovem nihil eſt.

Deut. 13. 17.

III. Si quis ſibi dicarit uxorem fructibus anno ſabbatico natis, aut cinere vaccæ rufæ, aut illis, quas mulieri menſtruali luſtrandæ hauſerit, aquis, ritè dicata ſit. Jam ſi quis pecunia templo reficiendo ſacra uxorem ſibi dicaret imprudens, rata quidem eſſet dicatio: verùm hic ſacrario ſortem rependeret addita quinta parte; tum immolaret etiam hoſtiam pro delicto ſic, ut Lege tenentur qui ſacris abutuntur omnes. Si quis autem per contumaciam hac eadem pecunia ſibi dicaret uxorem, dicatio nulla fuiſſet.

IV. Si quis ſciens inſciens decumis ſecundis ſibi dicaret uxorem, nulla fuiſſet dicatio: neque enim licitum erat decumis ſecundis ad ſuam libidinem abuti ante, quàm eſſent pretio redemptæ: etenim de decumis in Lege ſcriptum videmus, *Domini ſunt.* *Lev. 27.30.*

V. Sacerdos ſi ſibi ſua portione ſacrificiorum ſeu ſanctiſſimorum, ſeu minus ſanctorum, uxorem dicaret, ea dicata non eſſet: his enim veſci modo Lege permiſſum eſt. Si verò ſacerdos vel magno illo frugum ſibi dato munere, vel de decimis ſoluto, vel fructuum primitiis uxorem ſibi dicaret: ſi decumis primis homo Levita: ſi denique pauperum decumis ſibi dicaret uxorem plebeïus, ſanè quidem dicata foret.

VI. Atque ſacra illa frugum munera ſi oblata non eſſent, nihilominus pro oblatis haberentur: ut ſi cui * plebeïo ab avo materno ſacerdote fruges hæreditate veniſſent, unde necdum ſacra illa munera eſſent exempta, & exemiſſet hic cùm munus hoc magnum, tum verò decumas, conſimilia forent muneribus & decumis, quæ ab eodem avo materno hæreditate ipſi veniſſent. Is igitur hiſce rebus ſacris ſi ſibi dicaſſet uxorem, iſta quidem dicata eſſet. Res enim iſtæ ſi non ſunt ipſi ad veſcendum aptæ, at certè vendiderit eas * cui conveniunt. Verùm plebeïus ſi ſibi dicaret uxorem munere ſancto, quod ab propria exemiſſet area, dicatio nulla eſſet, quandoquidem iſti munus id vendere non eſt integrum. Omnino datur ei gratificandi facultas, ut mu-

* Hinc licet intelligere cuique licitum fuiſſe ut uxorem ex alia tribu atque ſua duceret.

* Eſt hic mendum in Hebræo editionis 1574. in parvo folio.

nus tribuat cui ſacerdotum cunque viſum fuerit : ſed gratificandi facultas argentum non eſt.

VII. Rapto, furto, præda ſi quis dicarit uxorem, ſi legitimi rerum domini de ſpe recuperandi deciderunt, atque etiam deſperatione dominorum bona jam raptorum eſſe propria compertum eſt, eſto dicata mulier : contra ſi ſecus ſit.

VIII. Si quis in ædes alienas ingreſſus vas aliquod, eſcam, atque aliud id genus ſumpſit, eoque ſibi dicavit uxorem, licet huic dominus poſtea domum reverſus ita diceret, cur non id tu potiùs huic dediſti, quod ſanè, quàm quod dediſti, multo melius, dicata tamen non eſt. Nimirum ſic dominus eum eſt affatus, ut pudore ne ſuffunderet : atqui iſte ſibi dicavit uxorem bono alterius inſcientis, quod verò raptum eſt, atque adeo non eſt dicata mulier : ſin autem uxorem ſibi dicavit ejuſmodi re, quæ non ſit domino curæ, ut dactylus, ut juglans, de dubio erit dicata mulier.

IX. Si quis eſſet, qui mercium ſocietatem cum aliquo faceret, iſque merces inſciente ſocio partitus uxorem ſibi parte ſua dicaret, nequaquam eſſet dicata ; quippe quod mercium æſtimandarum poteſtas omnis omnino judicum conſeſſui ſit tributa : neque enim hic ſibi ipſe carpet quidquid libuerit, & quod viſum fuerit, relinquet.

X. Si quis ipſi mulieri quid aut palam eripuiſſet per oppreſſionem, aut de bonis ejus clam

clam surripuisset, aut prædatus esset, tum eam hoc eodem ipso rapto, furto, præda sibi dicaturus ei diceret, tu ista re dicata esto: si prius inter se de nuptiis egerant, deinde suum mulier recepit & siluit, rata erit dicatio: sin autem cum ea nunquam egerat de nuptiis etiamsi siluit mulier cùm ei reddita sunt sua nomine dicandi, dicata tamen non est: rursus erit ista rata dicatio, si modo respondit, *ita*.

XI. Et si quis apud mulierem aliquid depositurus primùm ei, conde mihi depositum istud, post deinde, tu mihi eo dicata esto, dixisset: si postremum hoc ei dixit prius, quàm accepisset depositum mulier, eaque depositum accepit & tacuit, dicata erit: sin postea quàm mulier id accepisset ratione depositi, vir ei dixisset, eo mihi dicata esto, eaque tacuit, nihil inde sequitur. Etenim post datum argentum porrò silentium nihil efficere potest. Eadem igitur dicata sit, si post acceptam pecuniam respondit, *ita*.

XII. Si quis suum mulieri debitum retributurus idem huic ante quàm acceperit dicat, hoc tu mihi dicata esto, eaque silens id accepit, siquidem antea de nuptiis egerant, ritè dicata fuerit. Sin minus, non erit dicata, nisi ipsa responderit, *ita*. Quòd si posteaquam debitum suum mulier recepit, tum demum hic ei dicat, hoc tu mihi dicata esto, cùm responderit, *ita*; tamen non erit dicata, quando nihil ab illo, sed suum accepit duntaxat: etenim ex quo mulier argentum rece-

pit, ſolutum fuit debitum, nihil ut debiti rurſus exigere poſſet.

XIII. Si quis mulierem ſibi dicavit argento credito, non ſit dicata, non, ſi argentum per ſingrapham ſit creditum: ut ſi quis mulieri denarium crediderit, tum ei dixerit, eſto mihi dicata illo denario, quem mihi debes, non ſit dicata mulier: quippe quod argentum creditum eſt ad ſumptus faciendos: nihil igitur ſupereſt, ex quo jam nunc quidquam commodi mulier percipere queat. Ea cùm denarium expendit, jam tum præteriit crediti commoditas omnis.

XIV. Si quis autem cùm mulieri crediſſet argentum accepto pignore, eam ſibi hoc credito dicavit, atque reddidit pignus, iſta quidem dicata eſt, quippe quæ jam nunc uſum pignoris habet, adeoque commoditatem pignoris percipit.

XV. Si quis ſibi uxorem dicat commoditate crediti, rata ſit dicatio: ut ſi quis tum mulieri, cùm ducentas commodet drachmas, ita dixerit, quam ego tibi do uſuram temporis ad utendum hoc creditum, hac tu mihi dicata eſto, ſcilicet retinebis hoc creditum tantum dierum numerum, neque id ego repetam à te ante diem illam, iſta quidem dicata eſt. Nam ei jam nunc eſt iſta commoditas, ut credito utatur ad præſtitutam diem: ſed id ne fiat, cautum eſt, quod ad uſuræ ſimilitudinem accedit. Etenim quibus ego dedi operam magiſtris, hi voluerunt illud *commoditate crediti* verbum eſſe quod omnino intelligi non poteſt.

XVI. Si quis mulieri dixerit, esto mihi dicata & isto nummo, & eo, quod tu mihi debes, ista quidem ritè dicatur: similiter si dicat, & eo, quod tibi credidi, argento, & nummo isto, ritè dicatur.

XVII. Si cui pecunia debeatur ab alio, isque mulieri dixerit, esto mihi dicata eo, quod iste mihi debet, argento, idque ei dixerit tum, cum simul unà tres consisterent, ritè dicatur.

XVIII. Si quis mulierem sibi dicat eo, quod aut apud ipsam deposuerat, aut utendum ipsi dederat, si modò depositus erat nummus, aut mutuo datus, aut certè si quod est nummi ex eorum altero mulieri superat, ritè dicatur.

XIX. Si mulieri quis ita dixerit, si tui causa cum rege colloquar, esto pro mercede dicata mihi, atque apud regem pro ipsa loquatur, tum rex mulierem relinquit, non requirit, nulla sit dicatio nisi si patronus ille nummum mulieri de suo dederit: quam enim mulier percepit ex ejus oratione commoditatem, ea crediti est instar: atqui credito si quis uxorem sibi dicat, dicata non est.

XX. *Item si quis mulieri*, esto mihi dicata hoc opere quod apud te facturus sum, & fecerit, non est ista dicata, nisi dederit de suo nummum: mercedem enim operarius usque à principio ad finem sensim adquirit; nimirum quamlibet operis particulam consequitur mercedis aliquid. Ergo tota merces argentum mulieri creditum esse reperitur, & cre-

dito si quis dicat, nulla est dicatio.

XXI. Viro si mulier dicat, da dono denarium huic, & dicabor ego tibi, isque cùm dedit, tum mulieri dixit, esto dicata mihi propter tuum istuc commodum de dono, quod ego nunc tuo jussu do, hæc quidem ritè dicatur. Nam si nihil inde venit ipsi in manum; at certè satis cepit commodi ex eo, quod hujus ille voluntati obsequatur: tum etiam ejus beneficio commodum cepit hic: similiter viro si mulier dixerit, dono da denarium huic & dicabor ipsi, & cùm ille dedit, tum mulierem sibi dicavit dicendo, esto mihi dicata propter tuum hoc commodum de dono, quod ego nunc tua voluntate accipio, hæc ritè dicatur.

XXII. Si quis mulieri dixerit, aufer istum dono denarium & dicabere huic, atque hic eam sibi dicavit ita dicendo, esto mihi dicata propter hoc commodum, quod tibi à me ortum est, hæc etiam ritè dicatur, ut ei nihil omnino datum à dicante sit. Si verò mulier, istum à me tu denarium accipe, & dicabor ego tibi, atque accipiendo hic mulieri dixit, esto dicata mihi propter hoc commodum de dono quod ego nunc à te accipio, siquidem vir iste clarus & honoratus est, mulier ritè dicatur: quippe quòd satis capit commodi si hic ei gratiam habeat, quo quidem se ipsa addixit illi.

XXIII. Si quis mulieri dixerit, esto mihi denario dicata, atque hoc relinquo tibi arrhaboni pro illo denario, donec eum tibi solvam,

non eſt dicata mulier : neque enim adhuc denarius ei venit in manum, nec pignus illud datum fuerat, ut ſibi haberet. Si quis eo, quod à ſuo ſibi debitore datum eſſet, pignore mulierem ſibi dicat, etſi pignus proprium ejus non erat, mulier nihilominus dicatur; quippe quòd creditor ipſum pignus aliquatenus propriè poſſidet.

XXIV. Si quis mulieri dixerit, iſto mihi denario dicata eſto hac lege, ut eum mihi redditura ſis, nullo pacto dicatur ſeu reddat, ſeu non : ſi non reddiderit, quia conditioni non ſtetit : ſi reddidit, quia nihil cepit commodi, nihil ei venit in manus.

XXV. Cùm aliquis faſciculum myrti, vel ſimile quid daturus mulieri dixerit, hoc tu mihi dicata eſto, eoque accepto mulier reſpondeat, at hoc quidem nummi non eſt : tum huic ille, dicata mihi eſto quatuor his drachmis, quæ in eo continentur, ſi reſpondeat mulier, *Sic eſt*, ritè dicatur : ſi ſileat, non eſt hoc argento dicata : namque ita res eſt, poſt datum argentum omnino nihil efficit ſilentium : at de dubio tamen erit dicata : faſciculus enim loco fortaſſis alio nummi eſt.

XXVI. Si quis mulieri dixerit, eſto mihi dicata dactylo iſto, eſto mihi iſto, eſto mihi illo, ſi nummi eſt horum aliquis, dicatur : Sin minus, non eſt dicata niſi de dubio, quod alibi vel unus forte dactylus nummo venit.

XXVII. Si mulieri dixerit, eſto mihi dicata iſto, hoc, & illo dactylo, ſi ſimul omnes nummi ſunt, dicatur : ſin minus, erit du-

bia duntaxat dicatio: Cùm verò primum quemque datum dactylum comedit illico mulier, tum extremus ſi ſit nummi, dicatur: ſin minus, erit duntaxat dubia dicatio. Nam quos primò comedit dactylos, hi crediti rationem imitantur: atqui credito ſi mulierem dicat aliquis, non dicatur: ergo ſolo in extremo dactylo relinquitur dicationi locus.

XXVIII. Quòd ſi mulieri dixerit, eſto mihi dicata his dactylis, ſi ſimul unà nummi ſunt, rata ſit dicatio, ut primum quemque dactilum illico comedat; ſuum enim jam comedit, ideoque dicatur.

XXIX. Cùm mulieri dixerit quis, eſto mihi dicata hoc calice, ſi plenus ſit aquæ, erit dicata mulier tum ipſo calice, tum eo quod intus continetur: ſi vini plenus ſit, erit dicata calice ipſo, non eo quod continet: ſi ſit olei plenus, dicatur eo, quod calix continet, non calice: Quocirca ſi nummi non eſt, quod continetur oleum, de dubio duntaxat dicatur: ſi verò nummi ſit, pro certo dicatur, nec calicis habetur ratio.

CAPUT SEXTUM.

I. MUlier cùm dicatur ſub conditione, ſi fiat conditioni ſatis, rata dicatio; ſin minus, irrita ſit. Nec intereſt, utrùm à viro, an à muliere ſit inſtituta conditio. Nam in omni omnino conditione tam nuptiarum, ac divortiorum; quàm emptionum atque

venditionum, cæterarumque rerum civilium, quatuor iſta concurrant oportet.

II. Primùm igitur bis unaquæque conditio repetatur neceſſe eſt: deinde hujus ut affirmatio negationem antecedat: tum ut factum antecedat conditio: poſtremo ut ea ſit conditio, quæ compleri queat. Ex his ſi deſit unum, eſt irrita conditio ſic, tanquam omnino inſtituta non ſit: ſed protinus rata dicatio, rata repudij renuntiatio, rata emptio, venditio, donatio ut ſi nulla ſit inſtituta conditio, ſiquidem conditioni harum quatuor rationum deſit aliqua.

III. Si quis igitur mulieri dixerit, ſi mihi drachmas dederis ducentas, denario iſto dicata mihi fueris: ſi non dederis, non dicata fueris; & poſt inſtitutam hanc conditionem idem mulieri dederit denarium, conditio firma ſit, & mulier ſub conditione dicata: ut ſi pependerit drachmas ducentas, rata dicatio: ſin minus, nulla ſit.

IV. Si quis autem cùm mulieri dixiſſet, eſto mihi dicata denario iſto, atque hunc ei dediſſet, tum demum hanc inſtituat conditionem, ſi mihi dederis drachmas ducentas, dicata ſis, ſi non dederis, non dicata ſis, irrita conditio fuerit ideo, quia conditioni factum antevertit, ſiquidem denarium mulieri dedit in manum priùs, quàm pepigit, licet eodem tenore facta ſint omnia. Quare continuò mulier dicata ſit, nec quidquam dare neceſſe habeat.

V. Item ſi quis mulieri dixerit, ſi mihi

drachmas ducentas dederis, eris hoc mihi dicata denario, tum eidem dederit denarium in manum, conditio quidem iſta nulla erit, quippe cui repetitio nulla deſit: neque enim additum eſt, ſi non dederis, dicata non eris. Itaque mulier iſta dicata ſtatim erit, nec eadem illi quidquam pendat neceſſe eſt.

VI. Porrò ſi quis mulieri ita dicat, ſi mihi non dederis ducentas drachmas, non eris dicata mihi, ſi dederis, eris dicata mihi iſto denario, eumque deinde denarium mulieri dederit in manum, conditio nulla ſit ea re, quia affirmationi negationem antevertit. Ergo mulier erit extemplo dicata, neque illi quidquam dare opus habet.

VII. Jam ſi quis mulieri dicat, ſi ſuperſcandas cœlum, ſi deſcendas ad abyſſum, eris hoc mihi dicata denario; ſi non ſcandas ad cœlum, ſi non deſcendas ad abyſſum, non eris mihi dicata, atque mulieri denarium det in manum, conditio nulla erit, atque adeo mulier extemplo dicatur. Id enim exploratum eſt ac cognitum, omnino fieri non poſſe ut ipſa cnnditionem iſtam compleat: nec ipſe niſi ὑπερβολικῶς id dixit per jocum & ridiculum.

VIII. Si quis conditionem inſtituat, quæ quidem compleri queat: ſed Lex id facere prohibet; ut ſi quis mulieri dicat, ſi adipem, ſi ſanguinem comederis, hoc eris mihi denario dicata: ſi non comederis, non eris dicata mihi: item ſi comederis ſuinam, ſit iſte tibi repudij libellus: ſi non comederis, nullus ſit;

denique ſecundum pactum mulieri ſeu denarium, ſeu repudij libellum det in manum, hæc quidem eſt firma conditio: ut ſi per nefas comederit mulier, dicata vel repudita ſit: ſin minus, neque dicata fuerit, neque repudiata: nec verò dicendum eſt, at iſte contra Legem pepigit. Nam hoc in mulieris erit poteſtate, nihil horum comedere, atque adeo nec dicari, nec miſſam fieri.

IX. Atenim Sapientes ſciverunt, ut ſi quis contra quàm quod Lege ſancitum eſt paciſcatur, pactum fuerit irritum, præter id, quod rem pecuniariam ſpectet: ſcilicet, ſi quis vel uxorem ducere, vel repudiare, ſi quis donare, vendere quid velit ſub ea conditione, qua vel adipiſcatur id, quo Lex eum non modò non donavit, ſed etiam prohibet, vel rurſus ea re ſe eximat, cui Lex addixit, huic verò id dicitur, eſt irrita conditio tua, adeoque quod feciſti factum atque ratum eſt, neque tu te eximas ea re, cui Lex addixit: neque porrò per te ipſe conſequaris id, quo te eadem prohibeat.

X. Ut ſi quis ſibi dicarit uxorem ea lege, ut huic à ſe nec victus debeatur, neque veſtitus, neque mariti ſtatum munus, iſti quidem edicitur, ad victum & veſtitum, quæ eſt pecuniaria ratio, conditio tua valet; non valet autem ad ſtatum viri munus in uxorem; quippe cui te Lex addixit: hæc igitur tibi dicata eſt ita, ut ſtatum officium ei præſtare debeas: neque enim tibi in manu eſt, ut hoc munere tete tua conditione eximas. Atque eadem eſt

ratio hujus ſimilium. Item ſi quis captivam eximia forma mulierem ſibi dicarit ea conditione, ut eadem poſthac ad quæſtum abutatur, huic iſta dicata eſt, & nihilominus hac erit ei nefas ad quæſtum abuti. Etenim ſi quis cum ejuſmodi muliere corpus miſcuerit, eum poſthac hanc eandem mulierem pro ſerva habere Lex prohibet: non igitur ſua conditione conſequetur id, quo Lex eum prohibet; ſed conditio nulla erit. Similis eſt aliorum hujus generis ratio.

XI. Si quis mulieri ſeu dicando, ſeu repudiando conditionem inſtituat, ut ea cubet cum patre, fratre, filio, vel alio hujus generis, itidem ut ſi pepigiſſet uti ſcanderet in cœlum, aut rurſus ad abyſſum deſcenderet, conditio nulla erit: neque enim mulieri in manu eſt, ut inceſti flagitium in ſe admittant alij, adeo; ut inſtituerit mulieri conditionem quam ipſa complere nequeat. Eadem eſt aliorum id genus ratio.

XII. Quòd ſi cum muliere pepigit, ut hic ille ſibi daret aream, aut cum filio ſuo gnatam connubio jungeret, conditio firma ſit ideo, quia mulier iſtam complere poteſt: nempe poteſt huic, illi pecuniæ dare tantum, ut aream iſti tradat, uti gnatam ejus filio collocet: namque in his nihil admittitur ſceleris. Sic eſt de reliquis horum ſimilibus.

XIII. Atque haſce tibi conditiones propone jugiter ante oculos, ut cùm audieris, ſi quis ſub hac illa conditione dicat, repudiat, item ſi quis ſub conditione vendat, donet,

noveris quòd in conditione requirantur hæc quatuor, de quibus modò disputavimus, ut ne singulis ea locis exponere necesse habeamus: tum etiam si quid horum conditioni desit, quod ea omnino nulla sit.

XIV. fuerunt recentioribus ex Sapientibus, qui docerent omnino in dicationibus, atque repudiis pacti repetitionem esse necessariam, in re pecuniaria non item: verùm hac in parte istos audire par non est. Nam & repetitionem & his è quatuor pacti rationibus reliquas Sapientes didicerunt ex hac quæ facta fuit cum stirpe Gad, & cum stirpe Ruben pactione. *Si transierint filij Gad & filij Ruben vobiscum Jordanem omnes armati, &c. Dabitis eis Galaad in possessionem: sin autem non transierint, &c.* Atqui illic nec de repudio pactio, nec de dicatione fiebat. Enimvero ista pactionum formula tradita fuit ab priscis illis doctoribus, & sic facere par est.

Num. 32. 29.

Ibid. 30.

XV. Quisquis uxorem sibi dicarit sub conditione, si conditio compleatur, rata fuerit dicatio, non ex quo dicata sit uxor; sed ex quo conditio completa fuerit: ut si quis mulieri dixit, hoc anno si dedero tibi drachmas ducentas, fueris isto mihi dicata denario: si non dedero, non eris dicata mihi: tum ei denarium dedit in manum ad mensem Martium, & ex pacto ducentas drachmas consequenti mense Augusto, mulier ei demum ab mense Augusto dicata fuerit: eandem igitur si sibi dicaret alter prius, quàm princeps ille conditionem istam com-

pleret, huic altèri ritè dicata foret. Similiter judicandum erit de repudiis, & de rebus pecuniariis: conditio nuncupata cum complebitur, tum demum ratum erit repudium, rata emptio, donatio.

XVI. Nempe ſic ſe res habet ſi ſit inſtituta conditio, nec additum eſt, *ab hoc tempore.* Nam ſi quis mulieri dixerit, tu mihi iſto denario dicata fueris *ab hoc uſque tempore*, ſi poſt diem illam drachmas ducentas tibi dedero, eaſque præſtituta die dedit, iſta quidem dicatio rata eſt ab ea retro hora qua facta fuit, ut multo poſt tempore conditio completa ſit. Qua de cauſa ſi alius eandem ſibi dicaret priùs, quàm eſſet conditio completa, irrita eſſet ea dicatio. Par eſt ratio repudij, & rei pecuniariæ.

XVII. Et cùm additur *ab hoc tempore*, tum nec repetitam conditionem, nec ante factum inſtitutam opus eſt: verùm cùm factum conditioni anteverteris, nihilominus firma ſit. Atque eam oportet inſtitui conditionem, quæ compleri queat: qui ſecus faxit, is ὑπερβολικῶς dixiſſe ducitur, ac conditio nulla ſit. Jam conditioni inſtituendæ cùm adhibetur iſta formula, *ea lege*, tum itidem, ut *ab hoc tempore* ſi ſit adjunctum, nec repetitam nec ante factum inſtitutam oportet conditionem.

XVIII. Ut ſi quis mulieri dicat, en tu mihi dicata ea lege ſi mihi pendas drachmas ducentas: en tibi repudij libellus ea lege ſi mihi pendas drachmas ducentas: en tibi area

dono data ea lege ſi mihi pendas drachmas ducentas, firma ſit conditio; ut mulier vel dicata, vel repudiata fuerit, vel aream adepta ſit ſi modo drachmas pependerit: ſin minus nihil horum ratum fuerit. Cùm verò nec conditio geminata ſit, cúmque factum ei præceſſerit, primò videlicet dicationis pretium, repudij libellus ſit mulieri datus in manum, areamve ceperit, tum deinde ſit inſtituta conditio: nihilominus tamen mulier, ſiquidem ea conditioni ſtet, aream adepta ſit, & dicata, repudiatave fuerit ab ea retro hora, qua facta res fuerat, ut ſi conditio prorſus eſſet inſtituta nulla.

CAPUT SEPTIMUM.

I. QUi mulieri dixerit, en tu mihi dicata hac lege, ſi conſilium pater meus approbarit, huic ſi pater approbarit, dicata fuerit: contra ſi vel improbarit, vel ſileat, vel mortuus ſit ante, quàm acceperit. Qui dixit ea lege, ſi pater non deterreat, illi, ſi pater ut rem audivit eum abſterruit, non erit dicata mulier: ſi non abſterruit, aut rem nec audivit quidem, rata dicatio ſit. Quòd ſi filius ſit mortuus priùs quàm rem acceperit pater, monetur hic, ut ſe rem voluiſſe neget eò, ut ſit irrita dicatio, nec in leviri poteſtatem veniat mulier.

II. Qui mulieri dicit, en tu hac re dicata mihi ea lege, ſi mihi ſint drachmæ ducentæ,

ſi cori capax ager, cùm præſto ſunt, qui teſtificentur hæc illi ſuppetere, rata ſit dicatio: qui ſi nulli ſint teſtes, dubia fuerit dicatio. Nam quæ nuncuparat, ea fortaſſis habet, atque habere ſe negat ideo, ut mulierem avertat à propoſito.

III. Si dixit ea lege, ſi mihi drachmæ ducentæ, ſi cori capax ager ſit hoc, illo loco, hæc ei ſi fuerint ibi loci, rata dicatio: ſin ubi conſtituerat, nihil ei fuerit, dubia certè dicatio ſit: fieri enim poteſt, ut illi ſint eo loco quæ conſtituerat, atque conſilium intendat avertendi mulierem à propoſito.

IV. Sin ita dixit, hac re mihi dicata fueris ea lege, ut tibi drachmas oſtendam ducentas, vel modum agri, oſtendat & dicata ſit. Nam ſi vel alienæ pecuniæ drachmas illas, vel alieni fundi monſtret modum agri, haud dicata fuerit, donec de ſuo exhibeat. Quin etiam argentum iſtud ſi mutuo ſumptum, vel in ſocietatem appenſum eſt: ſi conduxit agrum, aut ſi colendum pro parte fructuum ſuſcepit, neutiquam dicata erit: hæc eſt enim iſti verbo, *ut tibi oſtendam*, ſubjecta vis, ut quod ego nunc tibi polliceor, oſtendam de meo.

V. Atque huic ipſi cùm exiſtat modus agri, in quo foſſæ ſit bene multæ, & hæ decem palmarum in altitudinem depreſſæ, aut ſaxa rurſus ad decem palmarum altitudinem edita, ſi foſſæ fuerint aqua plenæ item, ut ſaxa ab agri menſura excluduntur, quippe cùm obſeri nequeant: ſin autem foſſæ ſint aqua vacuæ,

utique veniunt in agri mensuram, quando ad concipiendum semen sunt idoneæ.

VI. Cùm mulieri dixerit aliquis, en hoc tu mihi dicata fueris ea conditione, ut non sis obligata votis, atque ea horum trium suscepit aliquod, abstinere carne, temeto, nullo se exornare genere pigmenti, tum erit nulla dicatio. Sin aliud ab his votum debeat, tametsi vir profitetur & hoc se moveri voto, nihilominus rata sit dicatio Quòd si quis mulieri dixerit, ea conditione, ut nullo sis obstricta voto, si vel siliqua ista se se abstenturam vovisse reperiatur, nulla sit dicatio.

VII. Cùm quis mulieri, en hoc tu mihi dicata fueris ea lege, ut nulla sint in te vitia, atque invenitur in ea vitiorum aliquod illorum, quibus temerantur mulieres, nulla sit dicatio: sin autem aliud ab istis in ea vitium inest, cùm vir edicat etiam & isto se vitio moveri, nihilominus tamen dicatio rata sit. At quæ tandem vitia sunt quæ fœminas temerant? Ea videlicet omnia, quæ & * sacerdotes: ac de sacerdotum vitiis explicatur eo tractatu, qui est de introitu in templum. Præterea autem & ista mulieres temerant, corporis odor malus, immundus sudor, os fœtidum, densa vox, ubera crassiora præ cunctarum uberibus, intervallum unius & item alterius palmæ inter utramque mammam, morsus canis is, cujus sit cicatrix semper hians, verruca in fronte quamvis exigua, atque etiam propter capillos sita, & ipsa pilo destituta: hac enim verruca sacerdotem fœ-

* Hæc sunt numero centum & quadraginta, quæ suo loco nominatim explicabuntur.

mina ſuperat : ſed in reliquo vultu verruca pilosa, vel ſine pilis verruca quæ magnitudine monetam illam Iſſar quam appellant, imitatur, æque in ſacerdote atque in muliere vitium eſt.

VIII. Si quis uxorem ſibi dicaſſet nulla inſtituta conditione, tum in ea reperiret aut aliquod è vitiis, quæ mulierem temerant, aut de votis hiſce tribus unum de dubio dicata ſit. Jam ſi quis ſibi dicavit uxorem ea conditione, ut votis teneretur nullis, atque illa votis obligata cucurrit ad Sapientem, qui his eam liberavit, rata dicatio ſit.

IX. Rurſus ſi quis uxorem ſibi dicavit ea conditione ſi nullo vitio laboraret, atque aliquo affecta medicum adiit, qui ſanavit, dicatio nulla ſit. Sin pepigit, ut ipſe nullo nec teneretur voto, nec vitio laboraret, atque obſtrictum voto liberavit conſultus Sapiens, vitiumve curavit medicus, rata fuerit dicatio. Nam vitium rectè curatum nihil eſt indecori viro, nec porrò mulierem movet.

X. Mulieri cùm dixit aliquis, en hoc mihi dicata fueris ea lege, ſi drachmas ducentas ad triginta dies ego tibi dedero, ſi argentum dedit intra triginta dies, rata dicatio : ſin præterierint dicti dies, necdum eſt datum argentum, nulla fuerit dicatio. Si quis mulieri dixerit, en tu mihi dicata fueris his drachmis poſt tricenos dies, tametſi argentum intra hos triginta dies conſumptum eſt, tamen poſtea rata fuerit dicatio : ſin autem aut ipſe, aut mulier intra dies tricenos conſilium mutat, nulla ſit dicatio.

XI. At

XI. At enim hanc eandem intra hos triginta dies si sibi dicaret alter, huic utique perpetuum esset dicata. Hic enim quo tempore sibi eam dicat, ea necdum est illi dicata, adeoque dicatio hujus eam occupat, atque ut propria viri sit, efficit: itaque post triginta dies primi illius dicatio mulierem jam nuptam offendit: sic primus invenitur mulierem viro junctam sibi dicare, cui quidem dicationi locus non est.

XII. Si quis mulieri dixit, hoc tu mihi denario dicata fueris post tricesimam ab hodierno die lucem: tum eandem alius sibi dicat intra hos triginta dies, de dubio dicata ambobus erit. Itaque ambo illi repudium renuntiabunt seu intra seu post triginta dies. Item si quis mulieri, tu mihi dicata fueris post tricesimam ab hodierno die lucem: tum alter eidem, tu mihi dicata fueris post vicesimam ab hodierno die lucem: deinde tertius dixit, tu mihi dicata fueris post decimam ab hodierno die lucem, sicque centum deinceps hominum dicationi locus relinquitur. Itaque ab omnibus repudij libellus ei necessarius, quippe quæ omnibus de dubio dicata sit.

XIII. Si quis mulieri dixit, en tu dicata mihi: at excipio illum, id est, huic ego te nubere non prohibeo: ad reliquos homines quod attinet, volo te marito junctam haberi: & pro non nupta quod ad illum, ista dubia sit dicatio. Sin autem ita dixit, en tu dicata mihi ea lege, ut etiam illi permissa sis, hæc sit rata dicatio, & tam illi mulier erit inter-

dicta, quàm reliquo hominum generi. Etenim conditionem instituit ejusmodi, cui stare fas non est.

XIV. Si quis mulieri nummos dederit duo, atque eidem dicat, tu hodie mihi dicata sis nummorum altero, & altero rursus posteaquam tibi nuntium remisero, hæc ei & extemplo dicata erit, & denuo si forte nuntium ei remiserit usque adeo donec post dicationem altero nummo factam nuntium ei denuo remittat. Si quis autem mulieri dicat, hoc tu mihi dicata fueris cùm proselytus evasero, cùm proselyta tute evaseris; vel ego cùm manumissus ero, tu cùm manumissa fueris: vel post viri tui, post tuæ sororis obitum, nequaquam erit dicata, quippe cùm eam jam nunc sibi dicare nequeat.

XV. Si quis dixerit fratriæ cuipiam, hoc tu mihi dicata fueris, posteaquam leviro tuo calceum detraxeris, ista quidem rata sit dicatio: nam & tunc ipsum si mulierem sibi dicèt, de dubio dicationi locus sit.

XVI. Vir viro cùm dixerit, si puëllam conjux tua pariat, hoc ea puëlla mihi dicata fuerit, quod dictum, indictum est: at uxor illius si prægnans sit, atque adeo fœtus jam sentitur, rata sit dicatio. Ego verò sic existimo, cùm in lucem edita puëlla fuerit, oportere, ut iste rursus eam sibi dicet per patrem, ut tandem aliquando uxorem ducat domum ea dicatione, quæ probro nihil loci relinquat.

XVII. Si quis mulieri dixit, en tu dicata mihi centum denariis, tum ei vel unum præ-

beat, rata ſit dicatio ſtatim atque ea hunc unum acceperit: verumtamen reliquos mulieri perſolvat neceſſe eſt. Hic enim imitatur eum qui mulieri dicat, en hoc mihi tu denario dicata ea conditione, ut tibi pendam denarios centum, quæ quidem eſt extemplo dicata. Sic enim res ſe habet, ſi præcisè dixit, centum denariis: ſin autem plenè, centum denariis iſtis, tum eos annumerare mulieri occœpit, non erit rata dicatio uſque adeo, donec perſolutum fuerit: atque ad ultimum etiam denarium utrique diſcedendi poteſtas datur. Jam his centum denariis ſi deſit unus, ſi vel unus inveniatur æneus, nulla ſit dicatio: ſi denarius inſit malus, qui modò difficulter expendi poſſit, eum commutabit cum alio: ſin minus, nulla ſit dicatio.

XVIII. Cùm mulieri quis dixerit, en tu dicata mihi hiſce veſtibus, quæ ſunt denariorum quinquaginta, eæque ſint vel è ſerico, vel è materia ſimili, quam mulier expetat, ſi modò quinquaginta ſunt denariorum, ſtatim erit dicata mulier, atque veſtes acceperit: nec verò neceſſe eſt, ut priuſquam rata ſit dicatio æſtimentur in foro veſtes ad explendum animum mulieri: verùm ſi eſt, ut ſint ejus, quod dixit pretij, dicata fuerit uſque ab hora prima: ſin minus, dicatio nulla fuerit.

XIX. Vir & mulier inter ſe de nuptiis agant ſic, ut ille dicat denariis centum ego te mihi dicabo, hæc contra, ego tibi niſi ducentis non dicabor, ſicque ſuam quiſque domum inde diſcedant, tum iidem ſe ſe repoſi-

cant, fiat dicatio, de pretio mentio nulla: si est, ut reposcat mulierem vir, utique faciendum est, mulier quod voluerat: sin est, ut mulier requirat virum, is in legem suam rem conficiet.

XX. Si quis procuratori mandarit, ut sibi dicaret uxorem, atque dicavit sub conditione, dicatio nulla sit. Item si mandarit, ut uxorem sub conditione dicaret, atque conditionem dicando vel nullam instituit, vel aliam, vel certè mutavit, nulla sit dicatio.

XXI. Si quis procuratori mandarit, ut uxorem sibi certo quodam loco dicaret, atque dicavit alio, dicatio nulla sit: cùm verò procuratori ita dixisset, uxorem dica mihi, quæ est eo loco, tum si procurator eam alio dicaret, rata, firmaque sit dicatio: nihil enim ille voluit aliud, quàm indicare procuratori mulier ubi loci esset. Similiter igitur mulier cùm procuratori suo mandat, ut certo quodam loco sibi dicationem recipiat, si recipiat alio, nulla sit dicatio: sin ita dixit, vir est eo loco, tum procurator si recepit dicationem alibi, nihilominus firma sit, quippe mulier locum duntaxat indicare voluit.

XXII. Si quis uxorem sibi dicavit, ac protinus ipse mulierve dicta retractavit, retractatio nulla sit, adeoque mulier ritè dicetur.

XXIII. Si quis uxorem dicavit sub conditione, eidemque multis post diebus conditionem abdicat, vel inter semetipsum & mulierem nullis omnino testibus adhibitis, nulla sit conditio, atque mulier purè dicata fuerit,

Similiter ſi conditionem abs ſe inſtitutam poſtea mulier abroget inter ſe & virum, nulla ſit conditio. Ergo ſi quis dicaret ſub conditione uxorem, tum eam vel duceret domum, vel ſubigeret nulla conditionis habita ratione, tamen iſtam libello repudij miſſam fieri neceſſe eſt, quanquam inſtituta conditio completa non fuit. Fieri enim poteſt, ut vir ducenda, ſubigienda muliere conditionem abrogaret. Item ſi quis argento minori, quàm nummo, creditove ſibi dicaſſet uxorem: tum nec redintegrans dicationem præſentibus teſtibus cum ea corpus miſcuiſſet, ei repudij libello opus eſt. Is enim rationem habuit non dicationis illius, quæ omnino nulla fuit; ſed hujuſce coïtus: quippe quod conſtat idoneorum Iſraëlitarum eſſe neminem, qui coïtum ſuum meretricium eſſe velit, cùm eidem in manu ſit, ut legitimum reddat.

CAPUT OCTAVUM.

I. SI quis mulieri dixerit, en tu mihi dicata iſto vini cyato, atque is ſit mellis, aut contra hoc cyato mellis, qui ſit vini: hoc denario argenti, qui ſit auri: contrave hoc auri denario qui ſit argenti: item ſi dixerit ea lege, ſi ſacerdos ſim, & reperiatur levita, ſi levita ſim, & reperiatur ſacerdos: ſi nethinæus ſim, & reperiatur ſpurius; ſi ſpurius ſim, & inveniatur nethinæus: ſi ex oppido ſim, atque inveniatur eſſe ex arce; ſi ſim ex arce, & in-

veniatur esse ex oppido: si tenuis sim, & sit dives; rursusque si dives sim, & sit tenuis: si mea domus propius absit à balneo, & ea procul absit; si procul sit dissita, eaque ad balneum propius sita sit: si mihi sit serva, si filia * grandis, si coquus, nec ei quidquam horum suppetat; contrave: si mihi sit uxor & liberi, & non sint; contrave: in his omnibus, atque horum similibus, nulla sit dicatio.

* Et ista vox Hebraïca mē dosa est in editione 1574. in folio parvo.

II. Atque idem est statuendum si virum deceperit mulier: Jam in his omnibus seu mulier ait, ego in animo habui huic dicari viro, ut me deceperit, atque rem aliter, ac est, dixerit; seu vir edicit, equidem hanc mihi, etsi imposuit, dicare in animum induxeram, nulla sit dicatio. Nimirum hoc quod est in animo dictum, indictum est.

III. Si quis dixerit ea lege si sim unguentarius, atque inveniatur unguentarius simul & coriarius: si sim ex oppido ac sit ex oppido juxta atque ex arce: si mihi nomen sit Josephus, sitque Josephus simul & Simeon, rata sit dicatio: sin ita dixit ea lege, ut nullum mihi sit aliud, quàm Josephi nomen, sitque Josephi & Simeonis: ut unam faciam unguentariam, & sit unguentarius ac coriarius: ut sim ex uno oppido, atque sit pariter ex oppido & ex arce, neutiquam dicata erit.

IV. Si quis mulieri dixerit, en tu mihi dicata ea conditione, si sciam legere, Legem hic oportet legat atque interpretetur sic, tanquam eandem interpretatus est Aquila proselytus: sin ita dixerit ea conditione, si versatus

ſum in textu ſacro, oportet Legem, vaticinia, hagiographa commodè legere norit. Quòd ſi dixit ea lege, ſi doctor ego ſim, oportet Miſnam, Siphra, Siphri, & additiones illas R. Chiiæ probè teneat.

V. Jam ſi quis dixit ea lege, ſi Sapientis ſim diſcipulus, non exigendum, ut conſimilis ſit vel illi Aſai filio, vel filio Zomæ: ſat eſt ſi quærenti reſpondeat vel rem unam de diſciplina; immo etiam unum ex dogmatis illis longè facillimis quæ de tabernaculorum diebus feſtis publicè traduntur proximè ad diem ſolemnem, ut in his & populus verſatus ſit. Sin ita, ea lege, ſi Sapiens ſim, non exigendum, ut ſimimilis ſit R. Akibæ, aut ejus æqualium: ſat erit, roganti ſi de quavis prudentia reſpondeat. Sin ita, ea lege, ſi fortis ſim, non eſt exigenda fortitudo Abneris Neris filij, aut Joabi; ſed ut cæteris ſua fortitudine terrorem incutiat: ſin ita, ea lege, ſi ſim opulentus, non opes R. Elieſer Aſariæ filij poſtules; ſed ut cives ejus præ divitiis eum colant & obſervent. Jam ea lege, ſi juſtus ſim, tum quamvis ſceleroſus atque impius ſit, rata fuerit dicatio de dubio, quia forte pœnitentia commotus eſt animus aliquatenus. Rurſus ea lege, ſi ſceleſtus ſim, quanquam exſtat religioſiſſimus, rata tamen erit dicatio de dubio, quòd fortaſſis inclinaverit animus ad idololatriam: atqui idololatria tantum eſt flagitium & tam atrox, ut vel ſemel inclinatione voluntatis ad eam propendiſſe hominem reddat multò nequiſſimum. Habemus enim in Lege, *Ne ſeducatur cor* Deut. 11. 16.

Ezech. 14. 4. *vestrum:* atque alio loco, *ut capiatur domus Israël in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.*

VI. Si quis mulierem sibi cùm dicasset, tum postea diceret, putaram hanc esse sacerdotem, atque invenio levitam: rursusque levitam, & invenio sacerdotem: pauperem, & reperio opulentam: contrave divitem, atque invenio tenuem; nihilo secius dicatio, quoniam eum non circonvenit mulier, rata sit: similiter mulier si dixerit, hunc ego sacerdotem esse duxeram, atque levita est: levitam, atque est sacerdos: divitem, atque est egenus: egenum, atque est opulentus, nihilominus tamen rata sit dicatio, quando ipsa à viro decepta non est.

CAPUT NONUM.

I. SI quis mulieres sibi dicasset duas, quas ob incestum, simul unà ducere vetitum est, nulla sit dicatio. Itaque matrem & filiam, aut sorores duas unà si quis dicarit, harum neutra dicata fuerit.

II. Si quis mulieres bene multas simul unà sibi dicaret, isque dicando his ita diceret, estote vos omnes mihi dicatæ, atque in his essent aut duæ sorores germanæ, aut mater & filia, aut harum similes, omnino nulla dicata fuerit. Sin ita diceret, quæ vestri mihi est ad concubitum apta, esto dicata mihi, tum ei dicarentur omnes, præter sorores illas ger-

manas, atque matrem & filiam, & hujus generis alias. Sic ſi his eiſdem dicat, eſtote mihi dicatæ omnes, atque in his ſit fœmina ſerva, vel ethnica, vel ſeorſim inceſta, ut connubio juncta mulier, vel ſua ipſius filia, ſoror, aut harum ſimilis, nulla ſit dicatio. Rurſus ſi his eiſdem dicat, quæ veſtrûm eſt mihi ad concubitum apta, eſto dicata mihi, omnes ei dicatæ ſint præter eam, quæ non relinquit dicationi locum.

III. Si quis duabus germanis ſororibus dicat, una veſtrûm hac re mihi dicata ſit, tum eis ipſe dederit nummum, aut eum acceperit altera per alteram: item ſi quis parenti dixerit, tuis è filiabus una mihi dicata ſit, atque dicationem pater receperit, cunctis ab illo repudij libello opus eſt: nec licet, ut cum ulla cubet, quippe cùm in cunctis eſt dicationi locus, quamvis ſit interdictum, ne cum harum ulla rem habeat.

IV. Si quis procuratori ſuo mandarit, ut ſibi quandam uxorem dicaret, & fecit, tum qui procuratorem inſtituerat matrem hujuſce mulieris, ſororem, aut filiam ſibi dicavit & ipſe, nec exploratum eſt, utra fuerit dicata prior, utrique repudij libellum datum oportet, & huic adeo interdictæ ſunt ambæ. Similiter ſi mulier procuratori commiſit, ut certo cuidam viro dicationem ſuam reciperet, iſque fecit, atque ſuam ipſa dicationem recepit etiam alteri, nec compertum eſt, uter altero prior ſit, aut ambo mulieri repudium renuntient, aut ſi malint, mulierem miſſam

faciat alter, alter ducat.

V. Quæ quidem ita ſunt ſi viri duo ſint alieni. Nam ſi procurator patri dicationem receperit, & ipſa filio mulier, vel fratri, vel hujus generis alij, ambo miſſam faciant mulierem, quæ erit utrique interdicta.

VI. Si quis procuratori ſuo dixiſſet, i dicatum mihi mulierem, ac procurator mortem obiret, nec cognitum eſſet, uttùm homini quam dicaſſet, nec ne; pro certo habetur ei dicaſſe aliquam: ſic enim perſuaſum eſt, procurator mandatum exequitur: quoniam verò non liquet quam ei mulierem procurator dicarit, nulla non erit interdicta, cui exiſtant propinquæ mulieres, quæ cùm ipſa fiant inceſtæ, ut cui ſit filia, mater, ſoror, aut ſimiles: nam quî permittas hunc eam ducere, cùm ſit dubitandi locus an eidem matrem, ſororem, filiam procurator ante dicarit? Eidem verò erit licita mulier, cui non ſint ejuſmodi propinquæ. Jam quæ mulier habet hujuſmodi propinquas, matrem, ſororem, filiam, atque harum ſimiles; ſedenim procurator cùm fuit conſtitutus, tum erant iſtæ nuptæ propinquæ, mulier iſta quidem licita erit, ut ejus propinquæ fuerint repudiatæ prius, quàm procurator ille moreretur. Nec metuendum erit, ne procurator ejus propinquam dicarit, poſteaquam eſſet repudiata, eam ob cauſam, quia cùm procuratorem hic facit, tum propinqua non eſt ea, quæ poſſit ipſi dicari: atqui nemo quiſquam eſt, qui ab procuratore ſuo ſibi dicatam velit, niſi quam, procurato-

rem cùm facit, ſibi ipſe dicare poteſt.

VII. Ejuſdem hominis filij quinque ſi ſimul unà patri procurationem uxoris ſibi dicandæ commiſerint omnes, iſque nactus hominem cui ſint itidem filiæ quinque huic ita dicat, tuarum una filiarum meis è filiis uni ſit dicata, atque dicationem recipiat alter, ſanè virginum unicuique quinos à quinis fratribus nuntios remitti neceſſe eſt, quando uxoris ſibi dicandæ poteſtatem dederant omnes. Quòd ſi quis horum mortuus ſit, tum unaquæque virginum à quatuor ſuperſtitibus miſſa fiat opus eſt, tum etiam eorum alicui calceos exuat.

VIII. Qui filias habet duas, quarum altera parva ſit, vel puella, quæ necdum ejus è poteſtate exceſſerit, altera pubes, quæ dicandi ſui poteſtatem ipſi fecerit, is ſi dicando *filiam ſuam* generatim dixerit, nihil ad puberem pertineat. Nam ita res eſt, puberem filiam quæ dicandi ſui procurationem ei commiſit, nominatim appellet, opus eſt. Non erit igitur dicata filia pubes: ſoror ejus erit.

IX. Qui ſuſcepit duas è duabus uxoribus filiarum turmas, idemque in ſua poteſtate habet omnes, is ſi cui dicat earum aliquam, ac continuò poſt ita dicit, dicavi tibi filiam magnam, hîc quanquam dubitandi locus eſt, utrùm majorum, atque minorum maximam huic dicarit, an verò maximarum minimam, quæ minimarum etiam maxima multò major eſt, nihilo ſecius omnes ſolutæ erunt, præter illam maximam omnium, quæ ſola dicata

fuerit. Similiter ſi minorem dicarit, etſi dubitandi locus eſt, utrùm minimarum atque maximarum minimam; an dicarit maximam minimarum, quæ maximarum minima etiam minor eſt, tamen erunt omnes ſolutæ præter omnium minimam. Nam his vocibus *filia magna* hæc eſt ſubjecta vis, quâ filiarum nulla major eſt: itemque & horum verborum, *filia minor*, hæc eſt ſententia, quâ nulla minor eſt.

X. Patri, ſi filiam ſuam ante, quàm pubeſceret dicatam eſſe dixerit, fides habetur; ut ea cunctis ſit interdicta.

XI. Pater cùm ita dicat, filiam ego dicavi meam, ſed neſcio cui, hæc erit cunctis interdicta, donec idem ille referat, compertum mihi eſt eam me dicaſſe huic, qui ſolus eam miſſam faciat, neceſſe eſt, ut hoc patri compertum fuerit tum, cum filia pubes jam extitit.

XII. Patri neſcio filiam meam cui dicaverim dicenti ſi quis reſpondeat, *mihi*, huic adeo creditur, ut & domum ei ducere liceat, nec ſecunda dicatione opus ſit.

XIII. Sin duo ſunt, quorum uterque ſibi dicatam eſſe mulierem ait, aut ambo repudium ei remittent, aut ſi velint repudium remittet alter, alter domum ducet. Quam ſi duxerit horum aliquis, tum venerit, qui aïat, iſta verò mihi dicata fuerat, fides ei non habetur; neque porrò viro ſuo interdicta erit.

XIV. Jam ſi eſt, qui mulieri itidem di-

centi, dicata sum sed nescio cui, edicat, ego te dicavi mihi, huic quidem fides habetur eatenus, ut renuntiet mulieri repudium, quæ porrò cunctis erit licita, huic uni interdicta: non item ut ducat domum. Nam fortassis nimia libidine victum mulier ad hoc dicendum allexit atque attraxit, quî sibi ipsam redderet licitam.

XV. Vir mulieri, ego te dicavi mihi; illa contra, non dicasti me, si dixerit, hujus mulieris interdictæ viro propinquæ, & liciti mulieri istius propinqui viri. Rursus si mulier, tu dicasti me; ille contra, non dicavi te, huic omnino erit mulieris licita cognatio: sed mulieri erit interdictum cognatione viri. Jam si vir, ego te dicavi; mulier autem, dicasti non me, sed filiam meam, viro interdictum erit cognatione hujusce parentis, contraque huic cognatio viri licita: sed tum filiæ cognatio viro, tum filiæ viri cognatio permissa sit. Rursus si vir ait, tuam ego dicavi filiam, mulier autem non dicasti; sed me, meipsam: viro cognatione filiæ erit interdictum, & permissa erit viri cognatio filiæ: contraque viro cognatio matris erit permissa, & interdictum matri cognatione viri.

XVI. Ita res est dicationem intendentium, siquidem aiunt factam esse dicationem præsentibus testibus, qui testes aut in longinquam regionem, aut etiam è vita demigrarunt: sin autem fatentur ipsi dicationibus testes adhibitos esse nullos, nullæ, sicut ante posui, dicationes erunt. Quanquam ubi viro mulier,

tu me dicasti, *ille* contra, ego te non dicavi, rogatur, ut repudium mulieri remittat, quo permissa fiat cuncto populo: neque enim hinc illi quidquam dispendij existit. Qui idem si sponte sua missam faciat mulierem, eidem cogitur etiam donationem propter nuptias exolvere.

XVII. *Si* quis procuratori mandarit, ut sibi dicaret uxorem, tum postea procurator eam sibi ipse dicavit, ea quidem ritè procuratori dicata fuerit: atqui hoc est factu nefas. Et qui hoc admittit, aut hujus generis aliud in rebus contrahendis, is fraudulentus appellatur.

XVIII. Jam si quis procuratorem, qui sibi dicaret uxorem, constituit, isque prorsus abiit dicatum, tum procurator hic idem ait, eam mihimet ego dicavi; mulier contra, huic, qui hominem cum mandato misit, huic ego dicata sum, ita res erit: si testes adhiberentur nulli cùm fieret ille procurator, illi sit mulieris interdicta cognatio, & cognatio ejus permissa mulieri: rursusque mulieri interdicta cognatio ejus, qui procuratorem misit, & huic concessa cognatio mulieris: sin autem illa procuratio testibus confirmaretur, haud dubiè priori mulier ista viro dicata fuerit.

XIX. Sin mulier dixerit non liquet mihi, eine qui hominem misit dicata sim, an cui est ab eo commissa procuratio, siquidem procuratio non fuit confirmata testibus, dicata posteriori mulier erit. Nam si constet hunc

illius esse procuratorem, aut repudium mulieri remittent ambo, aut si libeat, mulierem repudiabit eorum alter, alter domum ducet.

XX. Constitutus à muliere procurator, qui dicationem ejus reciperet, si abiit, dicationem ejus recepit, atque interea loci mulier procurationem rescissam, convulsam voluit, nec exploratum est utrùm ante, an postquam procurator dicationem receperat, resciderit procurationem mulier, dubia dicatio sit. Similiter judicandum erit de viro, qui constitutam procurationem infirmasset.

XXI. Si quis ex quinque mulieribus sibi dicavit unam, & hic idem quam dicaverit non novit, tum verò mulierum unaquæque se ipsi dicatam esse ait, harum omnium isti sit interdicta cognatio, tum singulis repudium remittet: atque donationem propter nuptias quinis unicam repræsentabit, & liberabitur. Qui si concubitu dicavit, Sapientes eum damno multatum isto voluere, ut suam cuique mulierum dissolveret donationem propter nuptias. Atque hoc quidem in promptu est, rem sic se habere, si quinque mulierum uni donationem propter nuptias perscripserit, atque perscriptione deinceps amissa mulierum unaquæque aiat, me tibi dicasti, mihi donationem propter nuptias perscripsisti, atque eam, quæ mihi erat, amisi perscriptionem.

XXII. Mulier, quam rumor est esse dicatam alicui, pro dicata sit habenda, ut nihil liqueat. Rumor enim, nisi judicum consessui probetur, nullatenus moverit. Quo igitur

rumore fiet, ut pro certo habeatur dicatam esse mulierem? Scilicet si viri duo pro testimonio dicant se lychnos ardentes, lectos stratos vidisse, homines introeuntes, & exeuntes, turbam mulierum hujus causa lætantium, atque etiam dictitantium, hæc hodie mulier dicata fuit. Quas easdem si testes audierint, cùm ita dicerent, hæc hodie mulier dicabitur, nihil moverint, hanc ob causam, quia ad dicandum fortè conventum est, & nihilomagis dicatum. Itaque mulierem dicatam esse audierint, necesse est. * Item si veniant homines duo qui dicant nos vidimus quasi hilaritatem sponsaliorum, nos audivimus sermonem vulgi, nos iidem audivimus ex illo, qui ex isto audivit hanc esse dicatam coram hoc & illo testibus, qui testes posthac abierunt in regionem aliam, vel mortem obierunt, & iste quidem rumor est qui confirmet dicatam esse mulierem.

* Quod ab hoc loco sequitur ad articulum proximum id totum non extat in editione 1524. in folio magno; extat in editione 1574. in folio parvo.

XXIII. Hæc ita sunt si nullus in re scrupulus resideat: cùm verò scrupulus inest aliquis, & qui mulierem dicatam esse audierunt, iidem simul audierunt & scrupulum, neutiquam pro certo habetur dicatam esse mulierem. Atque ad illustrandam scrupuli rationem exempli causa ponamus rumorem esse sub conditione dicatam esse mulierem, vel dicationem ejus esse dubiam, sane istam dicatam esse pro certo non putatur: sed enim ipsa rogatur, atque ejus responso, quoniam nec argumentum facti manifestum affertur, neque rumor est adeo firmus, fides habeatur.

XXIV. Qui

XXIV. Qui verò ſcrupulus annuntiatur multis diebus poſtquam rumor fuit mulierem alicui dicatam eſſe, is ſi judicum conſeſſui veriſſimilis eſſe videatur, ſanè ſcrupulo concedetur, nec adeo pro certo habebitur dicatam eſſe mulierem: ſin minus, quando ſcrupulus non afferebatur tum, cùm nuntiabatur dicatio, nihil moverit.

XXV. Fuit aliquando rumor mulierem quandam alicui dicatam eſſe, tum multis poſt diebus hac de re quærentibus pater ejus reſpondebat, omnino ſub hac illi conditione dicata fuerat; verùm enim conditioni non eſt factum ſatis, Sapientes ejus verbis nullam fidem habere, ſed dicationem mulieris dubiam ducere itidem, ut ſi ſcrupulus adderetur nullus.

XXVI. Quam fama & ſermone dicatam audivimus, eandem coram præſentibus nobis ſi ſibi dicat & alter, tum in primam illam dicationem fama auditam inquiri neceſſe eſt. Nimirum ſi qui primæ dicationis teſtimonium certum & evidens attulerint, nulla ſit alterius dicatio: ſin minus, repudium mulieri renuntiet ſuperior ille, cujus dicatio obſcura fama nititur, & ducet domum alter, cujus ſit manifeſta & aperta dicatio. Quin etiam poſterior ſi mulieri nuntium remittat, nihilo magis eam prior domum duxerit, ut ne quis dicat, hic repudiatam à ſe ſponſam recepit poſtquam fuit * alteri deſponſata.

* Atqui Lege interdictum eſt ne quis uxorem cui nuntium remiſit reducat, ſi hæc eadem poſt repudium alteri ſit connubio juncta.

XXVII. Si quam primò mulierem rumor fuerat certo dicatam eſſe viro, eandem poſtea

fama ſit eſſe dicatam alteri, horum alter eam miſſam faciet, alter domum ducet, idque hic aut ille.

XXVIII. Quibuſdam locis conſuetudo fert, ut factis ſponſalibus demum munera mittat ſponſæ ſponſus. Hîc ſi qui teſtentur ſe vidiſſe munera mulieri ferri, metuendum eſt, ne dicata ſit huic, qui munera miſit, & dubij cauſa repudio opus eſt, tametſi ab pleriſque ejus loci incolis munera iſtiuſmodi mitti ante facta ſponſalia ſolent. Ubi verò moris eſt, ut omnes omnino munera illa mittant ante, quàm fiat dicatio, ibi verò ſi qui viderint mulieri ferri munera, nihil moverint.

XXIX. Jam quando conſtat factum eſſe mulieri inſtrumentum matrimonij, ſiquidem incolæ ejus loci aliqui non ſolent inſtrumentum illud ante ſcribere, quàm fiat dicatio, utique curæ erit. Atque in eo loco ſi nullus ſcriba reſideat, tamen eam ob rem forte factum eſſe inſtrumentum ante dicationem, quia ſcriba opportunè ſe obtulerat, non ducitur. Sin autem incolarum ejus loci omnium hæc ſit conſuetudo, ut inſtrumentum matrimonij conſcribant ante dicationem, nihil id moveat.

XXX. Si mulierem aiunt homines duo ſe vidiſſe certo quodam die dicari, & item alij duo eandem illo die ſe vidiſſe dicari negant, licet omnes in una ſimul habitent domo, nihilominus rata ſit dicatio. Etenim hoc negare ſe vidiſſe, argumentum eſt omnino nullum,

quippe quod homines clam dicare ſoleant.

XXXI. Teſtis unus cùm ait dicatam eſſe mulierem, ipſa neget, libera erit, & cunctis adeo permiſſa: ſin teſtes ſunt duo, quorum alter dicatam eſſe mulierem ait, alter negat, ſcilicet iſta nemini ducetur domum. Quæ ſi ducta fuerit, nunquam miſſa fiet, ſiquidem ipſa negat ſe dicatam eſſe. Mulier ſi quando ſe cuipiam dicatam eſſe dixit, tum poſt tempus aliquod eadem ipſa ſe ſe dicat alteri, ſic eſt: ſi cur ſe primò dicatam eſſe dixiſſet cauſam & rationem afferat, eamque ſatis idoneam, omnino huic alteri permiſſa erit. Sin autem cauſam afferat nullam, aut afferat quidem; ſed ineptam, cùm iſta cunctis interdicta ſit, tum alterius dubia dicatio. Is igitur nuntium ei remittet, quippe cùm huic & cunctis adeo ſit interdicta uſque dum venerit is, cui primùm deſponſata fuit. Similiter exiſtimandum eſt de muliere, quæ ſe connubio junctam viro cùm dixiſſet, tum deinde ſe ſe liberam aſſerat, ſi rationem dicti reddiderit probabilem, fides ipſi habeatur.

CAPUT DECIMUM.

I. SPonſus auctoritate Sapientum ſponſa prohibetur tamdiu, dum ea remanet ad patrem. Et qui ſua cum ſponſa cubat apud ſocerum, is de rebellione uſque deverberatur. Etenim qui concubitu mulierem ſibi dicavit, is etiam apud ſocerum cum ea rurſus

cubare prohibetur interea, dum eam domum ducit, ibique remanſit cum ſola ſolus, atque adeo hanc ſibi ſegregavit. Nihil enim aliud eſt uxorem ducere ad thalamum, quàm ſic cum ſola ſolum remanere, quod idem *nuptiæ* fere dicitur. Jam qui poſt dicationem ſua cum ſponſa nuptiarum nomine cubat, is ubi ſponſam denudarit, eam propriè poſſiderit; Ea verò jam tum nupta dicitur, atque ad omnia hujus uxor habetur.

II. Atque ut ſponſam duxit ad thalamum ſponſus licet cum ea quo libeat tempore cubet: tum hæc illius uxor ad omnia ſit habenda: item ut ad thalamum ſponſa ducta fuit nupta appellatur, ut etiam cum viro corpus nondum miſcuerit, ſiquidem ad miſcendum parata ſit. Nam menſtrualem ſi duxerit ad thalamum, & cum ſola fuerit ſolus, nihilo magis conſummatæ ſunt nuptiæ; ſed hæc etiam pro ſponſa habetur.

III. Ante nuptias oportet apud ſponſum fundere conjugum preces, quæ ſunt numero ſex: en illæ 1. *Te laudamus Domine Deus noſter qui pro gloria tua cuncta conſtitueris.* 2. *Te veneramur Domine Deus noſter Rex mundi, qui genus hominum feceris.* 3. *Tibi gratias habemus Domine Deus noſter, Rex mundi, qui hominem finxeris ad tuì ſimilitudinem, ad illius imaginis & effigiei ſpeciem, idemque ſtirpem homini ex homine perpetuam paraveris; gratia tibi Domine fictor hominum.* 4. *Gaudium gaudebit, triumphabit aliquando ſterilis, cùm diſſipatos jam liberos ſuos denuo magna cum læti-*

tia congregatos apud se viderit, gratia tibi Domine qui suis Sion liberis recreas. 5. Lætare hac societate quàm amabili itidem, ut quondam in Paradiso rebus à te factis ac constitutis lætatus es, laus tibi Domine, qui sponsum & sponsam gaudio perfundis. 6. Laus tibi Domine Deus noster, Rex mundi, qui paraveris gaudium, lætitiam, sponsum & sponsam, hilaritatem, cantum, tripudium, jucunditatem, amicitiam, conjunctionem fraternam, concordiam, & consocietatem, brevi Domine Deus noster, brevi Judææ in oppidis exaudiatur gaudij strepitus & lætitiæ, vox sponsi & sponsæ, quasi hinnitus è thalamo conjugum, puerorum è convivio cantus, gloria tibi Domine qui sponsos gaudio compleas.

IV. Si vini copia est, primùm super adhibito vini poculo gratulatio fit Deo de creatione vini, tum deinde sex istæ preces ordine funduntur. Tum igitur preces funduntur septem deinceps. Quibusdam locis moris est, ut ad vinum myrtus etiam adhibeatur: ibi post fusam de vino precem de myrto Deum venerantur: tum sequuntur de lætitia precationes.

V. Non funduntur conjugum preces nisi decem majores natu præsentes adsint, & iidem liberi: atque in his sponsus numeratur.

VI. Si quis sibi mulierem desponderit, precesque fuderit conjugum, nec domi suæ fuerit cum sola solus, mulier etiam pro sponsa putatur: neque enim nuptiæ fiunt fundendis

conjugum precibus, ſed ducenda muliere ad thalamum. Qui verò ſibi deſpondit mulierem, atque duxit ad thalamum, conjugum autem preces omnino omiſit, huic & mulier iſta ritè nupta ſit, & quamvis multo poſt tempore fundendæ preces. Omnino mulier menſtrualis non nubet, donec ſe ſe luſtraverit. Neque enim ſuper menſtruali muliere, quoad ſe luſtrarit, conjugum preces funduntur. Verùm ſi quis per nefas ejuſmodi duxerit, preceſque fuderit, nihil eſt quod eas porrò repetat.

VII. Sponſus oportet ſponſæ donationem propter nuptias faciat, & hanc eandem litteris conſignandam curet antequam ſponſa ducatur ad thalamum, ac tum demum licet eam pro uxore habeat, idemque ſcribæ mercedem exolvet. Quid ergo donandum erit? Nempe virgini non minus ducenti denarij: mulieri denarij centum ad minimum: atque hoc illud eſt, quod ſors donationis propter nuptias eſſe dicitur. Licet enim cuique, ſi libet, vel auri talentum addere. Etenim ratio ſortis & acceſſionis ad pleraque eſt omnino eadem: & ubicumque præciſè donatio propter nuptias dicitur, ibi ſors ſimul & acceſſio intelligenda eſt. Atque donationem illam propter nuptias uxori decrerunt Sapientes ideo, ut ne facile eſſet eam miſſam facere.

VIII. Denarij igitur ab his ſunt decreti non illi argenti puri, ſed ut tunc temporis erant ſeptem è partibus æris, & argenti una: ut in ſiclo toto dimidia duntaxat drachma argenti

ineſſet. Ergo ducentis, qui ſcribuntur virgini, denariis omnino quinque & viginti drachmæ argenti puri continentur; & drachmæ duodecim & dimidia centum his denariis, qui mulieri pro donatione propter nuptias ſunt ſcribendi. Jam drachma eſt ejuſdem ponderis atque ſex & nonaginta grana hordeacea ſic, ut tractatu primo de admiſtionibus diſputavimus. Denarius autem argenti cùm puri, tum etiam illis temporibus ſignati drachma paſſim appellatur.

IX. Non pauciores ducentis virgini, non mulieri pauciores denariis centum ſcribendi ſunt. Qui pauciores uxori ſcripſerit, hujus cum ea concubitus obſcœni fuerint. Idem eſt donationem illam propter nuptias uxori factam in inſtrumento perſcribi, & per * teſtes atque ſtipulationem ſponſum denariorum centum vel ducentorum obligatum eſſe. Hic pariter, & qui pro donatione propter nuptias res mobiles pignori dedit uxori, licentiam habet cum ea cubandi, donec factam uxori donationem propter nuptias in inſtrumento perſcribere per otium liceat.

* In rebus contrahendis homines Judæi hodie quidem certe ſic agere ſolent. Adhibent teſtes duos aut plures, qui teſtes conditiones, pacta, conventa coram hominibus rem contrahentibus nominatim appellantes pannum explicant: cujus oram apprehendunt hi, qui inter ſe contrahunt, atque iſto pacto oſtendunt ſe quod actum eſt ratum habere: id paſſim apud Talmudem & neotericos ſcriptores acquiſitio panni dicitur: hoc idem Majemonides noſter & hic & alibi ſic fere expreſſit: *Si de re pacta teſtes ſint, qui de manu contrahentis acquiſierunt:* nos autem ſententiam religiosè ſervavimus: verbum pro verbo reddere non neceſſe habuimus: itaque ad interpretandum uſi ſumus verbis paucioribus, & iiſdem ad latinam conſuetudinem magis accommodatis, *Per teſtes & ſtipulationem*, aut *ſtipulatione obligari.*

X. Si quis uxorem duxit domum, nec donationem propter nuptias perſcribendam

curavit : ſi perſcriptio , poſtquam uxor domum ducta fuit , amitteretur : ſi viro donationem uxor remiſit , vendidit , is , ſiquidem velit uxorem tenere , omnino ſortem ei donationis denuo perſcribat neceſſe eſt : neque enim cuiquam vel unius horæ ſpatium ſine perſcriptione donationis propter nuptias cum uxore conſidere licet. Alieno verò homini percepta ab eo commoditate ſi donationem vendidit uxor , tum ei donationem reſcribi neceſſe non eſt. Etenim hanc unam ob cauſam donationem propter nuptias uxori decreverunt , ut ne viro facile eſſet miſſam eam facere : atqui hic ſi nuntium uxori remittat , emptori donationem exolvat itidem , ut uxori ſolveret , ſi nulla vendidiſſet.

XI. Si quis uxorem ſibi deſpondit , & donationem ei perſcripſit , nihiloſecius ea dum ad thalamum ducta non fuerit , pro ſponſa non nupta ſit habenda : neque enim donationis ſcriptione nuptiæ fiunt. Hic igitur ſi mortem oppetat , repudiumve renuntiet , mulier ab homine libero quidem donationis ſortem accipiet : de acceſſione autem nihil , ſiquidem hic illam necdum domum duxerat. Qui verò mulierem ſibi deſpondit , & donationem ei ſcripſit nullam , hic ſi vitâ excedat , vel repudium remittat , ſponſa nihil quidquam donationis , ne ſortem quidem ab iſto accipiet , quippe quia ſors illa donationis mulieri non decernitur prius , quàm aut ipſa domum eſt ducta , aut ei perſcripta donatio fuit. Jam ſi cujus filiam ſibi deſponderit aliquis ,

atque donationem ei perſcripſerit, tum moriatur, nuntiumve ſponſæ remittat adhuc puellæ, donatio ejus, ut ſupra poſuimus, ad patrem pertineat.

XII. Præterea Sapientes conſtituerunt, ut qui virginem ducat uxorem, is ſeptem dies perpetuos hilares cum ea ſumat, neque ſua ſe exerceat arte, neque apud forum negotiis contrahendis ſe ſe implicet; ſed ad veſcendum, potandum, atque ad oblectandum ſe paret totum, & dedat: nec in eo differat à novo marito viduus. Et qui ducit uxorem jam mulierem, is non minus triduo ſe faciat hilarem. Etenim fœminis Judæis à Sapientibus id decretum eſt, ut qui mulierem ducit uxorem ſeu novus maritus, ſeu viduus cum ea ſe triduum oblectet.

XIII. Jam uno & eodem die plures ſimul uxores ducere; deque cunctis ſemel conjugum preces fundere omnino cuique licet: ſed cum harum unaquaque, quantum par eſt, ſe ſeorſim oblectabit, cum virgine hebdomadam, triduum cum muliere: *neque enim lætitia confunditur alia cum alia.*

XIV. Omnino fas eſt ſponſalia facere quo libuerit die, vel * nona menſis Julij, idque noctu vel interdiu: verùm uxorem ducere domum nec pridie ſabbati licet, nec poſtridie, ea re, quia maritus in epularum apparatu occupatus ſabbatum forte profanum haberet. Nam interdictum eſſe ne ſabbato ducatur uxor, ne dici quidem neceſſe eſt: neque enim ** interſciſis diebus uxor domum ducitur, ut

* Qui dies quidem imprimis auſterus habetur, lugubris, ac calamitoſus.

** Sic vocantur dies illi qui ad Paſcha ab prima ad octavam ſolemnitatem intercedunt, item & ad ſolemnitatem Tabernaculorum: Neque enim tam ſancti habentur, quàm uterque dies ſolemnis: neque

porrò tam profani, quàm dies profesti.
Gen. 29. 27.

ſupra diſſerui, eam ob cauſam, quia *lætitia non confunditur alia cum alia.* Huc enim ſpectat Legis illud, *Comple hebdomadam iſtius, tum dabimus tibi etiam & illam.* Reliquorum verò dierum quo libuerit uxor ducetur, modò proximum ante nuptias triduum ſponſum in apparanda cœna nuptiali occupatum habuerit.

XV. Ubi loci ſecundo hebdomadæ die & quinto duntaxat jus dicitur, ibi virgo ducitur hebdomadæ die quarto: ut ſi de virginitate novæ nuptæ lis incidat poſtridie nuptiarum mane prorſus dijudicetur. Mulier autem à Sapientibus inſtitutum eſt, ut ducatur hebdomadæ die quinto, eam ob cauſam, ut maritus cum ea ſe oblectet hebdomadæ die quinto, vigilia ſabbati, ſabbatoque, & conſequentis hebdomadæ die prima redeat ad opus.

XVI. Pater ſi filiam deſponderit parvam, eam ſponſus ſibi dari nuptum poſtulat, æque filia, ac parens nuptias protulerit interea dum ſponſa adoleſcit, atque puëlla evadit: rurſuſque ea confeſtim ducetur ſi patri libeat: verùm ſic facere non decet.

XVII. Cùm parvam ſibi deſpondit aliquis, multiſque moratus annis ſponſam ſibi poſtulat nuptum dari puëllam extantem, à poſtulatione tribuuntur etiam ſponſæ menſes duodecim, quibus ſe ipſa alat, & comparet ea, quorum indiget: tum deinde demum nuptum datur. Si poſtulat jam puberem menſes ei duodecim ſunt numerandi à primo puber-

tatis die. Et ſi quis virginem eodem ipſo die quo illa pubeſceret, ſibi dicarit, item dantur ſponſæ menſes duodecim à dicationis die, qui idem ipſe pubertatis eſt. Si quis autem virginem ſibi dicarit poſteaquam ea pubes eſſet, huic ſiquidem pubertas extiterit duodecim menſes ante quàm dicaretur, omnino triginta dies conceduntur ex quo poſtulatur in nuptias. Item ſi quis ſibi deſpondit mulierem, ſponſæ dies omnino triginta conceduntur ex quo poſcitur in nuptias.

XVIII. Atque ut ſponſæ cùm à ſponſo poſcitur in nuptias ſpatium datur, quo ſe ipſa alat ante, quàm nubat; item & ſponſo, cùm poſcitur in nuptias à ſponſa ſpatium, quo ſe ipſe toleret, datur: atque tantum datur huic, quantum illi daretur, ſi ſponſæ menſes duodecim, tantundem ſponſo: ſi dies duntaxat triginta, item & dies triginta ſponſo.

XIX. Sponſus ſi nuptiis moram producat etiam poſt exactum tempus præſtitutum, alimentum ſponſæ ſuppeditet, quamvis necdum domum ductæ. Quòd ſi præſtitutum tempus completur ſeu pridie ſeu poſtridie ſabbati, ſponſus non alat eodem ipſo die ſponſam, quippe quo domum ducere non licet. Jam ſi ad præſtitutam diem in morbum incidat ſeu ſponſus, ſeu ſponſa: itemque ſi tum menſtrualis ſit ſponſa, nihil alimenti ſponſæ præbeat ſponſus, quoniam neque ſponſa eſt ad nuptias idonea interea dum luſtratur & convaleſcit, nec uxorem ducere potis eſt ſponſus ante quàm ſanetur.

CAPUT UNDECIMUM.

I. QUi ducit uxorem omnino virginem; verùm aut jam viduam, aut repudiatam, aut levirum quæ calceo jam exuit, huic siquidem à sponsalibus vidua, repudiata fuerit, calceoque levirum exuerit, pro donatione propter nuptias erunt denarij ducenti. Sin autem à nuptiis, erunt denarij centum. Etenim virgo ut nupsit pro muliere habetur. Similiter qui virginem libertinam, proselitam ducit uxorem, aut eam quæ fuit aliquando captiva, si servæ manumissio, gentilis ad Deum conversio, captivæ denique redemptio facta sit ante, quàm complesset tres annos & diem unum, pro donatione propter nuptias erunt ducenti denarij: sin autem natæ fuissent tres annos & diem unum, aut plus eo, omnino erunt denarij centum.

II. Quid est igitur, cur Sapientes hisce virginibus omnino denarios centum decreverunt donationis propter nuptias? Quia nupta, serva, gentilis, captiva virum fere sunt expertæ. Itaque istis seu virum expertis, seu etiam integris duntaxat denarij sunt decreti centum, cæteraque ad omnia pro mulieribus habentur.

III. Quæ fuit ad genitales corporis partes baculo læsa, huic centum denarij pro donatione propter nuptias erunt. Etenim quæ pro integra virgine nuptum data fuit, ea ipsa quo-

que, ſi porrò compertum id habeatur, læſam baculo fuiſſe ad partem genitalem, omnino centum denarios pro donatione propter nuptias auferet. Parva tres annos nata, aut minus eo, ſi ſit virum experta quamvis grandem, nihilominus ducentos denarios pro donatione propter nuptias habebit. Nimirum iſta quidem denuo virgo, ſimilis virginum reliquarum exiſtet. Item cum virgine grandi ſi concubuerit parvus novem annos natus, aut minus eo, ea quoque ducentos denarios donationis habebit itidem, ut ſi virum omnino nullum experta ſit: ſcilicet qui novem annos & diem unum natus eſt, hujus efficax concubitus: minoris autem omnino nullus eſt.

IV. Virgini vel * claudæ, vel oculis captæ, vel ſterili donatio propter nuptias erit ducenti denarij: ſurdæ verò & inſanæ nihil donationis decernitur: vel nubere ipſum inſanæ quidem certe nullatenus conceſſum. Surdæ enim ut nubat Sapientum auctoritate permiſſum eſt. Nihil autem pro donatione propter nuptias decernitur idcirco, ut ab hac ducenda ne donatio propter nuptias quemquam deterreat. Atque huic ut nulla donatio propter nuptias, ſic neque alimentum decernitur, nec quidquam ex illis, quæ in conventione nuptiali fere nuncupantur. Rurſus ſi ſurda ducatur uxor, tum poſtea ſanetur, huic & donatio propter nuptias, cæteræque nuptiarum ſtipulationes debeantur: donatio autem propter nuptias centum erit denariorum.

* Eſt hic mendum in textu editionis in folio parvo 1574.

V. Si quis cùm ſurdam aut inſanam duce-

ret uxorem, huic denarios centum pro donatione propter nuptias ſcripſiſſet, ratum erit, quippe cùm rei jacturam lubens fecerit.

VI. Vir ſurdus & inſanus ſi ſanas duxerint uxores, his nulla ſit in viros actio, cùm ille ſenſus aurium, hic mentis compos factus ſit. Qui ſi poſtquam ſanati ſunt porrò tenere velint uxores, his pro donatione propter nuptias erunt centum denarij. Quòd ſi homini ſurdo uxorem adjunxerit judicum conſeſſus, idemque mulieri de bonis illius donationem propter nuptias perſcripſerit, iſta quidem percipiet quidquid à conſeſſu judicum perſcriptum eſt. De inſano autem homine, huic nuſquam & nunquam jugat uxorem judicum conſeſſus. Nimirum in iſto decretum Sapientum nullatenus firmum eſt; ex quo nuptias ei conſtituere nullas. Eandem ob cauſam nec parvo Sapientes nuptias conſtituere, quippe qui certas nuptias aliquando per ſe ipſe fecerit. Quid eſt igitur, quod iidem parvæ potius nuptias conſtituerint, cùm & ipſa per ſe aliquando nupſerit? Nempe ut ne accideret, ut ejuſmodi virgines vulgares haberentur. Parvo verò nulla mulier collocatur uſque dum exploratum fuerit, ac cognitum, ſigna illa eum edidiſſe.

VII. Parvus igitur ſi ducat uxorem cùm novem annos ætatis egerit & diem unum, tum etiam iſti nulla ſit donatio propter nuptias: qui idem cùm adolevit ſi teneat deinceps uxorem, tum ea ſortem donationis propter nuptias auferet. Etenim ethnicus ſi Dei

vivi cultum purum ſuſcipiat unà cum uxore item ethnica, huic pro donatione propter nuptias tribuentur denarij centum. Nam proſelitus ſi tenet uxorem, hac conditione teneat.

VIII. Cui virgini pro donatione propter nuptias ducenti dantur denarij, in hanc actio virginitatis habetur. Cui verò Sapientes aut omnino centum denarios pro donatione propter nuptias decrerunt, aut nihil quidquam, in eam virginitatis actio nulla ſit. Atqui ante nuptias ſi quis ſua cum ſponſa ſola ſolus fuit, huic in eam de virginitate nulla datur actio.

IX. Quænam eſt igitur illa virginitatis actio? Nempe ſi quæ pro virgine nuptum data fuit, ea arguatur virgo non fuiſſe. Etenim virginitatis ſigna ſunt duo: unum qui ſub finem concubitus principis manat de muliere ſanguis: alterum eſt ea, quæ inter primum concubitum anguſtia in muliere fere reperitur.

X. Si quis virginem duxit, cui pro donatione propter nuptias denarij ſunt ducenti, tum actionem inſtituit negans ſe virginem inveniſſe, res ex ipſa quæretur: ſi reſpondet ita, verum; virginem me non invenit: cecideram, & baculo, humo offenſa virginitatem amiſi, habetur ei fides, atque donatio ejus propter nuptias ad denarios centum redigitur. Et quanquam cum ea maritus ſic agat, forte tecum vir aliquis rem habuit, adeoque pro donatione propter nuptias nihil à me erit tibi, nihil nos ejus actio moveat. Attamen

hoc viro poteſtatis datur, ut generatim execretur ſi quis cum ea concubuit, quippe cùm ei nihil liqueat.

XI. Sin ita, vera prædicat, non invenit me virginem, poſt ſponſalia mea me vi vir compreſſit, & iſti fides habenda, ac ſic, ut ante, ducenti denarij ſunt pro donatione propter nuptias. Nam ſi maritus ait, forte vitium tibi oblatum eſt ante, quàm mihi deſponſata fueras, atque dolo malo mihi conciliata es, vel poſtquam mihi ſponſa fueras ſponte tua cum alieno viro cubuiſti, item jus habet execrandi generatim, ſi quis falſam actionem adhibeat ad exigendum id, quod nullatenus debeatur.

XII. Jam ſi non inventæ virginitatis actionem cùm intendit vir, mulier ait, homo mecum non cubuit, virgo ſum etiam, ea vel ſpectabitur, vel teſtibus adhibitis vir denuo corpus cum ea miſcebit. Sin ait mulier, omnino corpus ille mecum miſcuit, ſicque ſum inventa, ut ſolent virgines, atque vana mihi intenditur actio, ſciſcitamur è viro quid ſit quòd ſe neget uxorem inveniſſe virginem. Etenim ſi ſanguinem illum neget extitiſſe, oportet in gentem mulieris inquiri: fieri enim poteſt, ut hujus gentis mulieribus omnino nullus exiſtat ſanguis neque menſtrualis, nec virginalis. Quod cùm ita ſit, mulier pro virgine putabitur: ſin minus, mulier ipſa ſpectabitur, ſi forte ingenti laboret è morbo, qui ſuam membris viriditatem ademit: ſi fame ſit enecta, reficieturque cibo

&

& potione donec ſalva ſit & valida: tum maritus denuo corpus cum ea miſcebit, atque videndum erit, ediderit ſanguinem illum, necne. Si neque morbus reperiatur, neque fames, nec quidquam hujus generis, omnino eſt in eam depoſitæ virginitatis actio. Quamvis enim magnam vir in concubitu ſit expertus anguſtiam, ubi non manavit ſanguis, ibi nulla virginitas. Nimirum ſanguinem mittunt virgines omnino omnes, parva, major, puëlla, pubes, niſi ſi morbus obſtet, ut ſupra diſputavimus. Quòd ſi vir ita reſpondeat, quia inveni non anguſtiam, ſed januam patentem, inquiretur in ætatem mulieris, ſi forte pubes ſit: quippe cùm puberum pleriſque non ea exiſtit anguſtia, quæ magnopere ſenſu percipitur: ſedenim virginis adultæ membra molliuntur, deficit virginitas. Quæ cùm ætatem puberem non attigit, tum etiam viro dicitur, tu fortaſſis in concubitu mulierem inclinaſti, aut oppidò lentè ſubagitaſti, eaque de cauſa anguſtiam minimè percepiſti. Quòd ſi neget, atque januam patentem pro certo affirmet, erit actio amiſſæ virginitatis in omnem virginem impubem, parvam, puëllam, ægram, valentem. Nam puëllæ quidem virgini clauſum eſt uſque oſtium: Etenim cùm manaverit ſanguis, ubi ſit inventa janua patens, nulla eſt virginitas.

XIII. Quidam è magiſtris illis contrà docuerunt, in virginem puberem non eſſe ſanguinis hujus actionem, eſſe januæ patentis: atque non eſt hæc doctrina Talmudica: ni-

mirum iſtorum mendoſa fuerunt exemplaria Sapientum. Ego verò exemplaria perluſtravi multa & varia, eaque perantiqua, in quibus inveni rem ſic, ut ſupra explicavi, puberem in virginem niſi ſanguinis actionem eſſe nullam.

XIV. Mulieribus ſortem donationis propter nuptias decreverunt Sapientes : iidem conſtituerunt, ut ſi quis in uxorem intendat actionem non inventæ virginitatis, fides huic habeatur. Quod ſi inficietur uxor, ejus ſit refellere, non probare viri. Sic enim habetur, neminem eſſe, qui apparet * epulas uti perdat, quique convertat in luctum lætitiam propriam.

* Atqui oportere ut ſponſus proximo ante nuptias triduo toto apparandæ cœnæ nuptiali det operam, ante dictum eſt.

XV. Quod igitur ad tempus vir actionem virginitatis habet? Nempe ſi ſe mulier * abdiderit vir confeſtim agat oportet : ſin minus poſt triceſimum à nuptiis diem agendi jus habet etiam.

* Si cum viro alieno ſolo ſola ſe mulier abdiderit.

XVI. Quod autem Sapientes dixere fidem eſſe viro habendam, quem mendacij arguat uxor, id omnino omnes illi magiſtri eò pertinere volunt, ut ſorte donationis propter nuptias multetur uxor: acceſſione verò potiatur tantiſper dum aut evidenti ratione evincitur, aut ſe ipſa confitetur cum viro ante cubuiſſe, quàm huic deſponſa fuerit, atque hunc adeo decepiſſe. Quare ſicut cuncti rem jurejurando obtinentes, ita & hæc quoque à viro adigetur ad ſolemne ſacramentum per apprehenſum * volumen Legis quàm deſiderabile prius, quàm acceſſionem auferat: non

* Ad prælegendos populo libros Moyſi

item ipſa virum, quî poſſit eam ſorte donationis propter nuptias defraudare; cogat, ut jurejurando firmet uxorem non inveniſſe virginem. Sic enim habetur neminem eſſe hominem, qui cùm apparando convivio dederit operam, id perditum eſſe velit: verùm enim datur mulieri poteſtas execrandi in virum ſi falſi inſimulet.

Judæi ne nunc quidem his utũtur qui ſunt excuſi typis; ſed qui manu ſunt exarati, atque continentur eo, quod verè, propriéque volumen dicitur: id enim ſacrum habent, atque venerabile adeo, ut nihil ſupra: porrò ejus amore tenentur quàm maximo. Ex quo factum, ut volumen illud & hîc ſcriptori noſtro, & paſſim cæteris auctoribus DESIDERII vocabulo nominetur: nempe hoc iſti ſibi volunt nihil eſſe iſto volumine Legis magis expetendum atque deſiderabile. Quod quis poteſt uno verbo Latinè redere? Uſus ſum igitur pluribus: *Volumen Legis quàm deſiderabile.*

XVII. Si quis poſtea quàm ſorte donationis propter nuptias defraudarit uxorem porrò retinere velit, oportet ei rurſus denarios centum in donationem propter nuptias perſcribat: interdictum eſt enim ne quiſquam cum uxore vel horam maneat unam ſine perſcriptione donationis propter nuptias, ut ſupra diſſerui.

CAPUT DUODECIMUM.

I. QUi ducit uxorem, virginem, mulierem, majorem, parvam, Judæam, proſelytam, manumiſſam, is huic promittit res decem, & viciſſim quatuor ipſi adquiruntur.

II. Ex his decem tria iſta Lege ſancita ſunt, curatio corporis, veſtitus, & ſtatum tempus. Curatio corporis, hoc eſt, ejus alimentum:

veſtitus eſt, quod nomen ipſum declarat: ſtatum verò tempus, ut conſuetudine communi cum ea ſe conjungat: reliqua ſeptem auctoritate ſunt Sapientum inſtituta, quæ quidem omnia judicum conſeſſus paciſci cenſetur. Eorum primum eſt ſors illius donationis propter nuptias: cætera pactiones dotales fere vocantur: en illæ. Ut vir uxorem ægrotantem curet, captam redimat, mortuam ſepeliat; ut de mariti jam mortui bonis uxor etiam alatur tantiſper, dum vidua maneat, & habitet ejus in ædibus: ut quas ipſa peperit marito puëllas, illæ quoque de mortui bonis tolerentur interea, dum viris deſpondentur: & quos eadem viro pueros, ij ut matris donatione propter nuptias exempta porrò unà cum fratribus ex eodem patre natis reliquam hæreditatem ex æquo partiantur.

III. Viro autem adquiruntur & ipſi quatuor, omnia videlicet ex inſtitutis Sapientum: en illa: ut quæ opera & manu mulieris efficiuntur, viri ſint: item & ea fortuitò ſi quid inveniat: ut vir capiat omnino fructus omnes de bonis uxoris quoad ipſa vivat: quam ſi vir efferat, hujus univerſa bona hæreditate veniant ad illum ante omnes.

IV. Iidem ſtatuerunt pro victu uxoris eſſe, quod ejus labore atque manu comparatur: bonorum fructus pro redemptione captivitatis: & pro funeris ſumptibus hæreditatem donationis propter nuptias. Itaque uxor ipſa cùm dixerit, ego neque ali volo, nec efficere

quidquam, omnino ei obtemperatur, non invita cogitur. Vir enim ſi dixerit uxori, nolo te nec alere, nec percipere quidquam tuo è labore, mos ei non geritur: fieri enim poteſt, ut uxori ad alimentum non ſuppetat manuum opus. Atque hujus inſtituti cauſa alimentum mulieris in numero pactionum dotalium eſſe ducitur.

V. Quæ quidem omnia ſi in nuptiali inſtrumento nominatim perſcripta non ſunt; imò ſi quis ne inſtrumento quidem perſcripto uxorem bona fide duxerit, nihilo ſecius eam ubi deduxit domum, & ipſi ſua illa quatuor adquiſita ſunt, & ſua decem mulieri: neque enim iſta nuncupari opus eſt.

VI. Vir igitur ſi cum uxore pepigit, ut quibus ipſe conditionibus adſtrictus eſt, earum ſolveretur aliqua: contràve cùm pepigit uxor, ut aliquid eorum, quæ uxore ducenda viro adquiruntur, non adquirerentur, pactio rata ſit. Excipiuntur tria in quibus pactio omnino nihil juvat: de his pactionem cùm feceris, infecta ſit: ea ſunt tempus ſtatum, ſors donationis propter nuptias, uxoris hæreditas.

VII. Ponamus igitur exempli gratia cum uxore pactum eſſe virum, ut ne temporis ſtati jus adverſus ſe habeat, pactio ſit irrita, id uxori non minus debeat: quippe qui contra id quod Lege ſancitum eſt pactionem fecerit eam, in qua non pecunia agitur.

VIII. Si de ſorte donationis propter nuptias imminuenda cum uxore pactionem

fecerit, vel denarios centum aut ducentos pro ſorte donationis propter nuptias cùm perſcripſiſſet, uxor ei reſcripſerit ſe de ſumma donationis hoc illud accepiſſe, cùm nihil perceperit, pactio nulla ſit. Etenim qui virgini pro donatione propter nuptias nummos perſcribat pauciores, quàm ducentos, pauciores centum mulieri viduæ, hujus ſint obſcœni concubitus.

IX. Porrò poſtquam uxorem duxerit ſi cum ea pepigit, ut hæreditas ejus ad ſe ne veniret, pactio nulla eſt: quanquam enim auctoritate Sapientum eſt inſtitutum, uxoris ut hæreditas ad virum veniret, tam hoc inſtitutum confirmarunt, quàm ſi ex Lege ſit. Nullus igitur hac in hæreditate pactioni locus relinquitur, tametſi de re pecuniæ agitur. Quod enim in Lege dicitur de jure hæreditario: *Atque hoc erit ſtatutum judiciale*, id videlicet etiam in omnem poſteritatem præceptum fuit. De rebus cæteris cum uxore viri pactio rata erit: ut ſi cum uxore depaſciſcitur, ut neque corporis curationem, neque veſtitum ei ſuppeditet, ea lege, ſi de bonis ejus fructus non percipiat, aut quid hujus ſimile, firma, fixa erit pactio.

Num. 27. 11.

X. Quid igitur alimenti decernitur uxori? Nempe in ſingulos dies panes pro binis epulis: utræque igitur dirigentur ad communes omnium eundem locum habitantium epulas, quæ ſane quidem non languentis, non hominis ſunt edacis. Panis autem componetur è frugibus iis, quarum ad ejus loci incolas

uſus erit, è tritico ſi tritici; ſi hordei ex hordeo: item ex auriza, milio, cæteriſque frugum generibus, quibus eo loco ad victum uti ſolent homines. Porrò quædam decernuntur uxori obſonia, quæ ad panem adbibeat, velut piſa, olera, atque horum ſimilia: porrò oleum in eſcam: porrò autem oleum in lucernam, fructuſque inſuper, & parum vini in potionem, ſi tamen loci conſuetudo fert, ut vino uxores ad potum utantur. In ſabbatum verò decernuntur epulæ tres, caroque, piſceſve pro more inſtitutoque loci. Præterea autem uxori ſingulis hebdomadis neceſſe eſt nummum argenti dari in neceſſaria vitæ præſidia: obolum videlicet ad lavanda veſtimenta, tantundem in balnearum uſum, atque horum ſimilia.

XI. Sic enim cum pauperrimo quoque Judæorum agitur: cum divite verò pro facultatibus: ut ſi per has ei liceat, ut quotidie multa & varia comparet uxori pulpamenta, ea ſuppeditare vi cogatur. Etenim uxoris alimenti ratio tota ad facultates accommodatur. Jam ſi quis ſit tam inops, ut ne panis quidem uxori quantum eſt ad vitam neceſſarium ſuppeditare queat, vel invitus cogitur ei nuntium remittere, idemque uxori fieri debitor donationis propter nuptias interea, dum adipiſcitur, unde diſſolvat.

XII. Idoneum igitur alimentum uxori dare, atque ſeparatim ab ipſa cibum capere, ſi viro libet, ſanè licet, ſi modò quaque nocte ſabbatina ſimul unà cum ea cœnet.

XIII. Quod de cibo dato residuum facit uxor, id ad virum redit. Sacerdos non dederit uxori de sacris cibum totum, eam ob rem, quia defendere hæc à rebus inquinantibus admodum est difficile, purèque comedere: verùm partim sacrorum, partim profanorum dederit.

XIV. Etenim tanquam vir uxorem, itidem quos suscepit ex ea liberos natu minores alere debet, quoad egerint annos sex. Deinceps ex auctoritate Sapientum cibum his suppeditat, quoad adoleverint. Id enim si recuset, increpatur, urgetur, pudore suffunditur. Qui si porrò renuat, de eo per præconem ita prædicatur. Hic ille crudelis est, liberis alimentum denegat, immanior etiam immunda volucri, quæ pullos suos foveat. Atqui post sextum ætatis annum hos etiam alere vir non cogitur.

XV. Sic enim decernitur de homine incenso, qui incertum est utrùm habeat unde eroget in pauperes, nec ne. Cujus autem census est is, unde conveniat in pauperes tantum erogare, quantum ad liberos alendos suppetit, huic id invito eripitur nomine eleemosinæ, qua deinde liberi sustentantur interea, dum adolescunt.

XVI. Viri peregre profecti uxor si veniat ad judices petitum alimentum, ei primos à profectione viri menses tres nihil alimenti adjudicatur: sic enim existimatur neminem esse qui abiens domum relinquat vacuam. Postea verò alimentum decernitur. Qui si vir bona

reliquit, in ea judices invadunt, atque ad uxoris alimentum divendunt: neque verò reposcetur ab ea de labore ratio ad reditionem viri, qui si reversus quid ab ea effectum inveniat, sibi habuerit. Et si judices non adierit uxor, verùm viri bona ad sustentandam vitam ipsa sua sponte vendiderit, venditio nihilominus rata erit. Tum verò ut venditionem prædicandam curet, id necesse non est: neque adigitur ad jusjurandum, nisi si vir redux in mulierem instituat actionem: & post obitum viri donationem propter nuptias ablatum cùm venerit uxor, tum ea adducitur ut juret se ad necessaria vitæ duntaxat comparanda divendisse de mariti bonis.

XVII. Atque ut judices ad alimentum uxoris, item vendunt bona ejus qui peregre abiit, in alimentum liberorum sex annos ipsos habentium, aut eo minus. Grandiores enim de parentum bonis absentium quantumvis censorum, non aluntur. Item si quis mente captus sit, hujus quoque bona divendunt judices ad uxorem ejus & liberos, qui sex annos nati sint, aut eo minus, sustentandos.

XVIII. Tradunt è magistris quidam mulieri, cujus vir peregre exierit, mortemve oppetierit, alimentum decerni nullum tantisper, dum ea pescriptionem illam donationis propter nuptias in medium proferat: quam si non protulerit, ei omnino alimenti suppeditari nihil, quoniam forte donationem propter nuptias à viro jam accepit, eidem

ipſa forte condonavit. Quæ cùm ita ſint nihil à viro mulieri ſuppetit alimenti, quemadmodum deinceps diſputabitur. Alij contra, decerni alimentum, quod pro certo putetur à muliere necdum acceptam donationem propter nuptias, nec remiſſam eſſe, adeoque nihil opus prolata perſcriptione. In hac ego ſententia ſum quod ad mulierem attinet, cujus vir peregre abierit, quippe cui à viro alimentum ſuppeditari Lege ſancitum eſt. Cujus autem maritus de vita deceſſit, iſti mulieri niſi perſcriptionem proferat alimenti decerni nihil: etenim huic alimentum præbetur ex auctoritate Sapientum: præterea autem iſta de bonis hæredum alitur: atque ſemper cum hærede ſtare convenit.

XIX. Mulier ſi poſt abitionem viri eſt mutuata quid ad victum, id vir cùm redierit oportet diſſolvat. At ſi quis ſua ipſius voluntate cujuſpiam abſentis uxorem alit de ſuo, nihil eſt, quod iſti vir redux ſolvat. Enimvero hic ſponte rei jacturam fecit, quando nec à viro juſſus eſt mulierem nutrire, neque porrò mulier quidquam ab eo accepit utendum.

XX. Si vir abiens uxori dixiſſet, tu opere faciundo exerce victum tuum, nihil ei porrò ſuppeditet alimenti: mulier enim ſi minus contenta eſſet ea re, minuſque confideret, peteret, viro diceret, non mihi mea opera ſufficit.

XXI. Si poſtquam ad judices ventum, poſtquam decretum eſt alimentum, atque in hanc rem bona vendita fuerunt aut à judi-

cibus, aut etiam ab ipſa muliere, vir tandem redux ait ſe uxori reliquiſſe, unde ſe ſuſtentaret, mulier apprehenſo volumine Legis perquàm deſiderabili jusjurandum dabit à viro ſibi relictum eſſe nihil. Cùm verò mulier opperta virum nec petiit quidquam, nec vendidit, tum ſi vir redux ait in alimentum uxoris ſe reliquiſſe, negat mulier, & eadem intendit ſe mutuatam ab hoc aut illo eſſe, unde viveret, vir oportet illud * conceptum jusjurandum juret ſe uxori ad vitam reliquiſſe: quo facto vir ſolutus, mulier ære alieno ſit obſtricta.

* Præter jusjurandum illud per apprehenſum volumen Legis, de quo paulò ante diximus, eſt & alterum juramentum certis verbis conceptum: id à recentioribus quibuſdam magiſtris dictatum eſt, & hîc commemoratur.

XXII. Mulier cùm vendidit res mobiles, ſi in alimentum vendidiſſe intendat, vir contradicat ſe in alimentum ei reliquiſſe, mulier conceptum illud jusjurandum dabit nihil ſibi relictum eſſe. Jam ſi mulier nihil petiit, nihil utendum accepit, nihil vendidit; ſed victum quæritavit diurno ſe ſe exercens, nocturnoque labore, tamen à viro nihil auferet.

XXIII. Si quis votum fecerit, ut ſua ex ſe uxor nihil commodi perciperet, ſeu is ſpatium quoddam præfiniverit, ſeu non, expectandum erit omnino dies triginta. Poſthac ſi præſtitutum voto tempus exactum fuerit, vel exactum non fuerit quidem: verùm idem voto ſe liberandum curaverit, bene habet: ſin minus uxori nuntium remittat, numeret donationem propter nuptias. Atque per hos triginta dies uxor labore victum ſuum quæret. Qui ſi non ſuppetit ad omnia, oportet ali-

quis è viri ſodalibus mulieri reliqua ad vitam neceſſaria ſubminiſtret.

XXIV. Itemque ſi quis votum fecit, uxor ſua ne fructuum genere ullo veſceretur, manendum diebus triginta : extra tempus id amittat uxorem & perſolvat donationem propter nuptias oportet. Qui etiam vir cùm fecit votum ne veſceretur uxor eſca mala, aut genere quodam cibi, quem cepiſſet nunquam, tum etiam exactis poſt votum diebus triginta uxorem amittet & dependet donationem propter nuptias. Jam mulier cùm vovit ſe nullo prorſus fructuum genere ad cibum abuſuram, idque vir ei confirmavit : eadem cùm naziræatus votum nuncupavit, nec vir irritum fecit, ſi eſt, ut vir apud ſe velit uxorem manere nullo veſcentem genere fructuum, aut naziræam, maneat : ſin neget ſe uxorem voto obligatam pati poſſe, miſſam faciat, & donationem propter nuptias annumeret. Etenim ei in manu erat, votum ut irritum faceret, quod lubens confirmavit.

CAPUT DECIMUM ET TERTIUM.

I. DE veſtitu autem quotannis uxori vir oportet veſtimenta præbeat drachmarum quinquaginta, quæ, ut erat moneta priſcis illis temporibus, omnino ſex ſunt argenti denarij, addita quarta denarij parte. Dantur autem veſtes novæ brumali tempore : tritas induit æſtivo : panni, id eſt, veſtium reliquiæ

manent uxori, ut his se operiat tum, cùm sit menstrualis. Præterea autem ad singulos dies solemnes cingulum ei, calanticaque dabuntur, ac calcei.

II. Ita res erat temporibus illis, atque in Judæa duntaxat: aliis enim temporibus locisque neutiquam ratione pecuniæ vestimentum dirigitur: quippe cùm in alio loco vestium summa caritas, in alio rursus vilitas magna. Itaque eo potissimum res vestiaria vertitur, ut suæ quisque uxori teneatur suppeditare vestes ad hyemem accommodatas, idem & ad æstatem, easque quàm minimo pretio cunctæ in omni regione matresfamiliæ comparare soleant.

III. Jam qui debetur uxori vestitus, eo continetur etiam supellex, & tectum, quo habitet. Quid ergo supellectilis? Nempe lectus stratus: storea, matta, quibus insideat: utensilia, quibus ad escam & potionem utatur, ut olla, ut scutella, ut poculum, laguncula, & horum similia. De habitatione autem conducet ei casam cubitos quatuor quóquó versus patentem, in qua præter latitudinem corporis mulieri supersit spatium, ubi faciat opus: porrò latrinæ sint extra casam necesse est.

IV. Porrò præbendus ei mundus muliebris, veluti versicolora vela, quibus obvolvat caput, & frontem; veluti cerussa, fucus, atque horum similia, quominus satietas ejus virum capiat.

V. Sic enim habetur Judæorum vel tenuis-

ſimus: opulenti verò pro ſua quiſque facultate: ut ſi cui per facultates liceat uxori dare veſtes ſericas, acupictas, imò aureas, hic ejuſmodi veſtes ei præbere cogitur. Atque habitatio quoque, mundus muliebris, ſupellex, omnia ad facultates referenda ſunt. Quod ſi quis ſit, qui ne hoc quidem poteſt, quod debet Judæorum quàm pauperrimus, is cogitur uxorem amittere, cui nomine donationis propter nuptias obſtringetur tantiſper, dum diteſcat.

VI. Nec verò uxori tantùm, ſed liberis etiam ſex annos natis, aut eo minus, veſtitum idoneum, ſupellectilem, & tectum quo habitent, quiſque præbeat, non pro facultatibus; ſed prout neceſſitas ipſorum poſtulat. Omnino ſic ſe res habet, de re mariti quicunque ſunt alendi ſeu ante, ſeu poſt obitum, his eiſdem veſtitum, ſupellectilem, & tectum inde ſuppeditari oportet. Et quorum ad victum mariti bona vendunt judices, vendunt etiam ad veſtitum, ſupellectilem, & habitationem.

VII. Judices igitur mulieri, cujus vir peregre exierit, victum, veſtitum, ſupellectilem, & tectum decernunt: non item mundum muliebrem, ut quæ tum, cui ornetur, virum non habet. Cujus autem vir aut mente, aut aurium ſenſu captus eſt, huic mundus muliebris adjudicatur. Jam verò in uxorem de veſtitu, ſupellectile, habitatione, actio eſt eadem, quæ de victu, idem jus ſi vir ait ſe dediſſe, mulier negat, omnino omnium eſt una & eadem ratio.

VIII. Si quis votum fecit uxor sua se ut nulla re muliebri expoliret, id videlicet firmum erit in inopia totum annum: præterea vel uxorem voto liberabit, vel amittet atque donationem propter nuptias annumerabit: verùm enim in copia ratum erit omnino dies triginta: posthac itidem uxorem voto liberet, vel amittat, pendatque donationem propter nuptias.

IX. Si quis votum fecit uxor ne balneum frequentaret, ratum erit in oppidis hebdomadam unam, binas in pagis: & si quis votum fecit, ut uxor ne calceos indueret, firmum erit in pagis triduum, in oppidis diem solidum: præterea voto liberabit uxorem, amittetve, atque donationem propter nuptias pendet.

X. Si quis votum fecerit, ut uxor ne mutuum daret, rogaret quidquam supellectilium, quæ fere vicinæ solent, velut cribrum, incerniculum, pistrinum, atque horum similia, vel uxorem voto liberet, vel amittat & donationem propter nuptias annumeret, quippe cujus sordibus mulier in vicinia fieret infamis. Et mulier si voverit se cribrum, capisterium, pistrinum, furnumve mutuum neque daturam, neque sumpturam, se vestimenta illa pulchra non texturam, alba; ubi de more alba texuntur, hæc sine donatione propter nuptias missa fiet, hac de re, quia per eam avaritiæ nota viro à vicinia inureretur.

XI. Quibusdam locis consuetudo non patitur, uti mulieres in publicum prodeant,

quamvis ſit calantica caput opertum, niſi pepli genus illud, quod pallium imitatur, totum etiam corpus obtegat. Hîc uxori vir inter alias veſtes peplum quoque præbeat, neceſſe eſt, omnium videlicet quàm viliſſimum. Qui ſi bene locuples ſit, idem hoc uxori pro fortunis tribuerit, quocum prodeat tum, cùm ad parentes eat, mœrenteſque, gaudenteſque. Fas eſt enim mulierem viſum ire parentes ſuos, adire lugentes, agitare convivia, quo ſe propinquis ſuis ac conſuetudine conjunctis benignam præbens ab his viciſſim viſatur: neque enim carcere concluditur, ſic, ut nuſquam & nunquam progredi liceat. Illud flagitium eſt ac dedecus mulierem ititare ſemper tum ad forum, tum ad plateas, à quo quidem arcere viro jus eſt. Is igitur uxorem non ſinet exire niſi pro neceſſitate ſemel aut bis in menſe: nihil enim pulchrius eſt quàm mulierem in intimo quodam domus ſuæ angulo contineri, uti ſcri-
Pſal. 45. 14. ptum videmus: *Omnis puëllæ regis ſplendor eſt intimus.*

XII. Si quis votum fecit, ne parentes ſuos inviſeret uxor, cùm ſint ejuſdem urbis incolentes, opperiendum erit ſiquidem menſem in unum votum eſt: ſin autem menſes eſt in duos, uxorem amittet, pendetque donationem propter nuptias. Jam ſi parentes aliud habitent oppidum, & votum eſt in unum modo diem ſolemnem, manendum erit: ſin eſt in alterum, uxorem amittat, atque donationem propter nuptias numeret.

XIII. Si

XIII. Si quis votum fecit ne uxor vel ad luctum, vel ad convivium adeat, aut voto prorsus liberet uxorem, aut amittat, & donationem propter nuptias repræsentet. Quid enim est uxorem carcere clauso asservari, nisi hoc est? Verùm enim si petulantes homines causetur, quos constet in lugentium aut epulantium domo versari, obtemperandum est.

XIV. Si quis uxori dixerit, nolo veniat ad me pater tuus, mater tua, frater tuus, soror tua, obtemperandum est. Si quid igitur his adversum accidat, uxor ad ipsos se se conferet. Porrò patrem adibit ipsa semel in mense, insuper & singulis diebus solemnibus. Isti contrà non ibunt visere ad mulierem nisi si subito quid ei contigerit, morbus, puerperium: nemo enim homo vi cogitur invitus alios ad se admittere. Rursus si viro dixerit uxor, nolim mater tua, soror tua ad me veniat, nec in una domo mecum habitent, quoniam mihi molestæ sint, importunæ, item obtemperabitur: Etenim societatem habitationis facere cum aliis vi quidem certè coercetur nemo.

XV. Porrò si vir ait, in hac ego domo habitare nolo, quia vicini sunt impuri, protervi, ethnici, à quibus ego mihi metuo, mos ei geritur, ut etiam vicinorum protervitas explorata non sit. Id enim est Sapientium præceptum, *Ab impuro te vicino remove*. Itaque domus cùm uxoris sit, nihilominus ex ea educitur, uti habitet cum hominibus ido-

neis. Quod idem uxor ſi dixerit, vir ei, quamvis hoc ſe nihil moveri profiteatur, obſequetur. Id enim habet ea dicere, nolo me hac vicinia infamem fieri.

XVI. Quidquid in terris habitatum eſt, in regiones deſcribitur, ceu Chanaanæam, Ægyptum, oram auſtralem, Æthiopiam, terram Sennaar, & cætera: tum ſingulæ regiones urbibus ſunt diſtinctæ, & vicis. Jam ad nuptias Iſraëlitis hominibus oppida ternis in regionibus erant, in Judæa, ac Galilæa, & trans Jordanem.

XVII. Si quis igitur duxerit uxorem ex alia regione atque ipſe oriundam, hæc ſequi virum in regionem ſuam cogitur: niſi forte malit ſine donatione propter nuptias miſſa fieri. Nimirum hac ille conditione duxerat, etiamſi non nominatim eſſet dictum. Verùm enim qui ex ſua* ipſius regione duxit uxorem, non licet huic in regionem extraneam abducere: rurſuſque licet in hac eadem regione vel oppido ex alio in aliud, vel in alium ex alio vicum: non item in vicum ex oppido, aut in oppidum è vico. Etenim habitatio ruſtica rebus aliis, aliis oppidana commodior eſt.


* Eſt in iſto pronomine mendum in editione 1574. in folio parvo.

XVIII. Atque etiam in hac ipſa commigratione vel ex oppido in oppidum ejuſdem regionis, vel in vicum è vico nunquam licet uxorem transferre, nec domicilium in deforme ex eleganti, neque porrò in ſplendidum è ſordido. Nam mulierem neceſſe eſt curare uſque & eniti in eleganti habitatione, ut

ne levior aut deformior esse videatur. Neque porrò licet deportare de loco, cujus sunt incolæ maximam partem Judæi, in eum, quem majori ex parte gentiles habitant. Atqui semper è contrario licet mulierem deportare de loco, quem majori ex parte gentiles habent, in eum quem Judæi maximam partem incolunt.

XIX. Sic est enim si, quando sedes alia cum alia commutatur, vel extra terram Israëliticam, vel intra sitæ sunt ambæ: at verò de domicilio extra terram Israëliticam posito in domicilium intra terram Israëliticam situm mulier demigrare cogitur, etiam in sordidum è lauto, vel ex frequenti Judæis loco in frequentem ethnicis. De terra autem Israëlitica in aliam nunquam deducitur, neque domicilium in amplum è vili, neque porrò è frequenti gentilibus loco in frequentem Judæis.

XX. Uxor igitur, si viro refragetur hortanti, ut unà secum contendat in terram Israëliticam, missa fiet sine donatione propter nuptias: sin vir excludat uxorem eò cogitantem, appensa donatione propter nuptias amittet. Et cujusvis loci in terra Israëlitica siti eadem est ratio ad urbem Hierosolymæ. Nimirum quosvis in terram Israëliticam aliunde deportaris, non item inde aliò: & quoslibet Hierosolymam ex alio loco, non item aliò inde asportare fas est.



CAPUT QUARTUM-DECIMUM.

I. STatum illud tempus, de quo in Lege commemoratur, pro ſuis cuique viribus ſinitur, & operibus: validis igitur, mollitiaque & luxu fluentibus, qui nec ullo ſe exercent in labore, quo vires debilitentur; ſed otiosè domi veſcuntur eſcis & potionibus, his nullo die non erit tempus ſtatum. Opifices autem iſti, ſartores, textores, fabricatores, atque iſtorum ſimiles, ſi ſuis in oppidis artem factitant, eorum erit tempus ſtatum bis in hebdomada: ſemel autem, ſi in aliis. Atque aſinariorum tempus ſtatum eſt etiam ſemel in hebdomada: camelariorum ſemel in menſe: naviculariorum ſemel intra menſes ſex. Jam de diſcipulis Sapientum, quoniam Legis ſtudium item enervat, eorum etiam tempus ſtatum erit ſemel in hebdomada. Itaque horum conſuetudo eſt, ut ad quamque noctem ſabbatinam cum uxore corpus miſceant.

II. Omnino uxori eſt in manu, ut virum prohibeat ad mercaturam abire longius, ut ne tempore ſtato ſe defraudet: porrò vir ab uxore, niſi data copia, diſcedat nunquam. Et virum uxor artem, cujus dies ſtati celerius, cum arte, cujus ſtati dies tardius veniunt, commutare prohibuerit: ut ſi quis cupiat fieri camelarius ex aſinario, è camelario navicularius. At diſcipuli Sapientum Legis addiſ-

cendæ causa & sine facultate uxorum peregre abibunt in biennium, triennium. Item si quis ex homine molli & delicato factus sit discipulus Sapientum, hunc ob eandem causam peregre exire uxor non prohibeat.

III. Nec verò virum uxor impediat quominus insuper ducat uxores numero centum, seu simul unà, seu aliam post aliam, siquidem vir est is, qui harum unicuique victum & cultum sic, ut par est, suppeditare queat, & stati temporis officium persolvere. Atqui vir has omnes in una domo habitare simul, coercere non potest: sedenim suam cuique seorsum habitationem præbebit.

IV. Atque tempus statum pro mulierum numero describitur: ut si opifex uxores habeat duas, utrique semel in hebdomada tempus statum obtingat: sin habeat uxores quatuor, singulis semel intra binas hebdomadas status dies obveniet: si verò navicularius uxores habeat quatuor, unicuique tempus statum semel intra biennium accidet. Qua de causa cautum à Sapientibus est, ne plures quatuor uxoribus duceret quisquam quamvis locuples, ut earum cuique tempus statum saltem in mense semel obveniret.

V. Si quis votum fecit, uxor ut sua cum aliis communicaret id, quod ab ea sibi, vel à semet illi de re venerea jocosè & petulanter, ut fere fit à conjugibus, dictum erat, is uxorem amittet, repræsentabitque donationem propter nuptias. Si quis votum faceret, ut uxor inter concubitum moliretur opus

ideo, ut ne prægnans evaderet: & ſi quis votum faceret, uxor ut levem & dementem mulierem ageret, eodem modo amittat uxorem, numeretque donationem propter nuptias.

VI. Si quis voviſſet à lecto geniali ſe cohibiturum uxorem totam hebdomadam, expectabitur: ſin eo plus, vel uxorem amittat, repræſentetque donationem propter nuptias, vel voto ſe liberet, etiamſi navicularius ſit, cujus tempus ſtatum ſexto quoque menſe demum advenit. Vir enim ubi ſe voto obligavit, angitur uxor, & deſpondet. Si quis vovendo his uteretur verbis, uxor meo tibi concubitu ſit interdictum: ſi juraſſet ſe non commiſſurum, ut lecto jugali ſerviat, nequicquam voviſſet, nequicquam juraret, quoniam uxori obnoxius ſit. Sin autem ita diceret uxori, ſit mihi tui concubitus interdictum voluptate, votum ſanè ratum hominem prohiberet uxorem tangere: neque enim fas eſt quemquam eſca ſibi interdicta paſci.

VII. Nefas eſt uxorem ſtato tempore defraudare. Id enim ſi quis uxoris vexandæ cauſa committat, is legem violet prohibentem; *Exod. 21. 11.* quæ eſt ita conſcripta, *Victum, cultum, & tempus ſtatum ei non detrahet.* Etenim qui valetudine ſit infirma, vel ita languidus, ut omnino re venerea uti nequeat, is totos ſex menſes manebit, ſi forte convaleſcat, quo quidem ſpatio nec ullum tempus ſtatum eſt longius. Porrò niſi veniam impetret ab uxore

nuntium ei remittat, & donationem propter nuptias numeret.

VIII. Virum lecto geniali ſi prohibeat uxor, hæc videlicet contumax eſſe dicitur: itaque ex ipſa ſciſcitandum qua de cauſa viro repugnet: ſi eſt, ut dicat, iſte mihi contemptui eſt, nec adduci poſſum, ut voluntate cum eo rem habeam, ilicet vir ei nuntium remittere cogitur: neque enim uxor pro captiva habetur, quæ cum inviſo ſibi viro corpus miſceat: verùm nihil quidquam auferet donationis propter nuptias: auferet autem quidquid etiam extabit tritis è vaſis ſuis, vel his quæ mancipio dederat viro, quorum ille præſtat damnum, vel illis quæ viri ſunt uſu & fructu, quorum is adeo damnum nihil præſtet. Nam de propriis viri bonis nihil quidquam auferet: immo verò crepidas, quibus induti pedes, & vittas quibus redimitum eſt caput, ſiquidem ei ſunt à viro comparatæ, illas etiam exuet, reddet: porrò quidquid à viro dono datum erat, reddat oportet. Neque enim hæc ei vir ideo dederat, ut à ſe diſcedens ſecum auferret.

IX. Si viro mulier in jugali ratione adverſatur & repugnat, ut cruciet hominem, eaque prædicat, ego verò virum ita torqueo, quia id tantum de me meruit, quia me execratus eſt, quia mecum altercatus eſt, conſeſſus judicum mittet ei qui dicat, te ſcientem facio, ſi pergis adverſa eſſe viro, donationis propter nuptias, ſi centum minæ fuerint, prorſus eas iri perditum: tum deinde

per quatuor deinceps hebdomadas totas ſingulis diebus & in ſynagogis & in academiis ita prædicatur, *Mulier iſta viro adverſatur.*

X. Secundum iſtam prædicationem denuo mittitur à ſenatu monitor. Is dicit, edicit mulieri, tu ſi perſtes in defectione, donationem illam propter nuptias perdas: tum verò niſi reſipiſcat adverſatrix, initur conſilium de coercenda muliere, atque omnino omni donatione propter nuptias multatur: verumtamen non remittitur ei repudium niſi vertente anno, quo interim ſpatio nihil alimenti vir ei ſuppeditet. Quæ ſi mortem oppetat ante, quàm renunciatum ei ſit repudium, ejus ad virum venit hæreditas.

XI. Sic, ſic agitur cum muliere adverſante & repugnante vexandi viri cauſa, etiam dum menſe, morbove laborat, cùm ipſa ad rem veneream non ſit apta, etiamſi vir naviculariam facit, cujus ſtatum tempus ſexto quoque menſe demum veniat, etiamſi uxorem inſuper habeat aliam.

XII. Et ſponſa ſi ad præſtitutum nuptiis diem ſponſo exhibendæ moleſtiæ cauſa nubere recuſat, pro uxore in re venerea viro adverſante habetur. Eodem modo agitur cum fratria, quæ ſimiliter ad exhibendam moleſtiam nolit à leviro duci domum.

XIII. Hæc igitur adverſatrix cùm anno vertente diſcedat ſine donatione propter nuptias, tum etiam viro reſtituit quæ ejus ſunt omnia. De vaſis autem quæ viro ſecum ipſa attulerat, & reſiduis horum fragmentis, hæc

neque mulieri, neque viro, ſi occuparit, adimuntur; nec verò ſi quid amiſit ex hiſce rebus, quarum damnum præſtitit, quidquam mulieri diſſolverit. Hæc eſt enim Talmudiſtarum de adverſante muliere ſententia.

XIV. Verùm ab iſtis, qui Talmudis confectionem ſunt conſecuti, * magiſtris proditum eſt cum adverſatrice muliere ſecus actum eſſe Babyloniorum ſuorum inſtitutis & rationibus. Atqui nec ea majorem ad partem Judæorum pertinuerunt, & à multis magniſque viris paſſim oppugnantur. Atque decernendo Talmudis auctoritatem amplexari convenit.

* Qui Hebræis Geonim dicuntur.

XV. Quod ſi vir officium jugale detrectat, nempe ſi profitetur uxori ſe victum & cultum eſſe præbiturum, non concubiturum cum ea, quippe quæ ſibi ſit odio, ſingulis hebdomadis mulieris donationi propter nuptias addetur argenti pondus id, quod ſex & triginta æquat grana hordeacea: tum verò cum uxore habitet & illa ſe abſtineat, quoad mulieri viſum fuerit. Atenim quamvis mulieris donatio propter nuptias amplificetur, nihilominus à viro fit contra legem illam vetantem, *Ne detrahas.* Nam uxorem ſi quis habeat odio, amittere licet: vexare verò jus non eſt. Ecquid igitur cauſæ eſt, cur is, qui vetitum iſtuc facit irritum non coerceatur verberibus? Scilicet: quia nihil ab eo datur effectum.

Exod. 21. 11.

XVI. Jam ſi vir & uxor ad judices ſimul unà veniunt ambo: tum ille, mihi in jugali jure contumax eſt uxor; hæc contrà, cum

hoc ego ex consuetudine communi consuesco: aut uxor ait, vir iste officium jugale detrectat; ille verò, non est ita, uxorem ego via ac ratione vulgari habeo; principio dirarum obnuntiatione perterretur is, qui jugali officio egressus judici verum non confitetur: si nihil etiam dum confitetur, edicitur; ut testibus admissis in eundem locum se se concludant: quo facto si porrò pertinaciam intendat alter alteri, cum eo, unde petitur, agitur precibus, atque ex æquo & bono pax inter eos conciliatur. Nam ante hominum oculos cum uxore virum corpus miscere non licet, nec ullius quidem in conspectu animantis.

XVII. Si in morbum incidat uxor, viro est tandiu curanda dum sanetur. Qui si morbum fore longinquum, atque adeo magnam jacturam faciendam prospiciens uxori dicat, tuam ego donationem propter nuptias jam nunc daturus sum, & te nisi inde curaveris, prorsus repudio; tum verò donationem repræsentet, & discedat, obtemperabitur illi quidem: verùm sic facere minimè decet propter convictum humanum & societatem.

XVIII. Item viri est uxorem redimere captivam: qui si sacerdos sit, cui quidem capta uxore prorsus interdictum est, is cùm eam redimat necesse est, tum etiam ad patrem reducat. Idem iste si habitet oppidum maximè diversum ab eo, unde sit uxor, curam ejus sustineat interea, dum eam restituit in patriam: tum repudium ei renuntiet, & donationem propter nuptias repræsentet totam. Sin ple-

beïus ſit, cui captiva uxore nihilominus uti licet, primum ei reſtituet uxoris, in quem acceperat, locum: tum poſtea nuntium remittet, & repræſentabit donationem propter nuptias.

XIX. Vir uxorem captivam redimere pluris quàm eſt, non cogitur: eſt autem ejuſdem pretij, ac reliquæ captivæ mulieres. Jam ſi pretium id exuperet donationem propter nuptias, tamen non ſit ejus vir audiendus cùm dicat, ego nuntium uxori remitto, donationem propter nuptias repræſento, ſe ipſa redimat. Enimverò vir uxorem redimere vi cogitur invitus, etiamſi redemptionis pretium decuplo majus ſit, quàm donatio propter nuptias, nec homini redemptione facta quidquam rei ſuperet: ſic enim habetur uxor captiva prima vice; ſed ſi redempta denuo capta ſit, tum verò licet vir ei nuntium remittat, & repræſentet donationem propter nuptias, unde ſe ipſa redimat.


XX. Hominis peregre verſantis ſi capta ſit uxor, judicum conſeſſus ejus bona voci præconis ſubjicit, quorum pretio itidem, ut vir ipſe præſens, captivam redimit.

XXI. Qui conjugem voto alligavit ejus generis, propter quod ei cogatur nuntium remittere, & repræſentare donationem propter nuptias; huic ſi poſt ſancitum ejuſmodi votum capta ſit uxor, redimenda non eſt. Nimirum hunc, ex quo votum fecerat, repudium uxori remittere, & donationem propter nuptias pendere jus erat.

XXII. Si quis habet uxorem eam, qua ſibi lege prohibente interdictum eſt, huic ea, ſi forte capta ſit, redimenda non eſt: donatio propter nuptias erit pendenda, unde ſe ipſa redimat. Atenim ſacerdoti ſimiliter interdictum eſt uxore captiva, & nihilo ſecius redimenda . verò: nimirum iſta non ante captivitatem; ſed captivitatis ergo ſacerdoti interdicitur.

XXIII. Porrò viri eſt uxorem mortuam curare ſepeliendam, juſta & lamentationes faciendas, ut regionis fert conſuetudo. Vel pauperrimus Judæorum non minus binas tibias, & præficam unam adhibebit: divites autem pro ſua quiſque dignitate. Quod ſi viro dignitate præſtet uxor, referantur juſta funeris ad dignitatem uxoris. Poteſt enim uxor per virum in altiorem dignitatis gradum efferri, dejici de gradu ne mortua quidem poteſt.

XXIV. Si vir eſſet is, qui nihil ad humandam uxorem ſuppeditare voluiſſet: atque ſua ſponte homo alienus ſepulturæ ſumptum ſuggereret, per vim à viro ſumptus hic exigatur, ne uſu veniat, ut extincta conjux canibus objiciatur. Itaque viro peregre verſanti ſi moriatur uxor, illius bona conſeſſus judicum occupat & divendit, ne præcone quidem adhibito: & idem mulieris ſepulturam procurabit, quam referet ad viri facultates, item & ad dignitatem ſeu viri ſeu fœminæ.



CAPUT DECIMUM ET QUINTUM.

I. UXor si secundum nuptias viro concessit, ut tempus statum omitteret, faciat licet; illi videlicet qui jam habet ex uxore liberos, quippe cùm præcepto isti, *Crescite & multiplicamini*, fecerit satis. Qui si nullos suscepit liberos oportet tempus statum tamdiu observet, dum liberos ex uxore procreavit: id enim jubendo Lex sancit, in qua dicitur, *Crescite & multiplicamini.* *Gen. 1. 28.*

II. Atqui propagatio generis viro præcepta est; non item mulieri: sed qua tandem ætate virum præceptum id tenet? ut decimum & septimum attigit ætatis annum. Atque ut exegit annum ætatis vicesimum, necdum uxorem duxit, lineam transiit, jussum id irritum fecit. Quem autem divinæ Legis intelligentiæ ac cognitioni egregiè applicatum ab re uxoria deterreat timor, ne si quærat uxori quæ ad vitam suppeditant, avertatur à Legis studio, omnino licet huic conjugium retardare: ut enim præceptum ad unum exequendum intentus cunctis aliis solvitur, sic etiam multo magis Legis * studio deditus.

* Sic enim statuunt Judæi nihil ex omni cultu Dei sanctius esse studio Legis.

III. Jam si quis tanquam Azai filius Legis studio oblectatur usque, is si se ad percipiendam Legem penitus applicat, uxorem omnino nunquam ducit, extra noxiam est; modò hic idem libidinem habeat domitam: quæ libido si stimulat & pungit hominem, uxorem

ducat necesse est, quantumvis liberos jam procrearit; quippe qui cælebs fortassis in cogitationes obscœnas incidat & turpes.

IV. Hoc igitur præcepto functus sit quisque cùm primum ei gemina proles puër & puëlla nati sint, ea re; quia scriptum legitur, *Masculum & fœminam creavit eos.* Cui verò filius existit eunuchus, filiave sterilis, is necdum est præcepto isto defunctus.

Gen. 1. 28.

V. Si quis prolem istam sibi natam extulerit, eamque relinquentem liberos sibi superstites, is itidem præcepto functus fuerit, quippe quod nepotes filiorum loco ducuntur. Sic est enim si quis habeat nepotes puërum & puëllam, & eosdem è filio & filia: is enim præcepto functus sit, etsi puer è filia, ex filio puëlla nata est, siquidem è prole gemina sint oriundi: verùm si quis filium & filiam extulerit, quorum alteruter puërum & puëllam reliquit superstitem, is necdum propagationis est præcepto defunctus.

VI. Si quis liberos procreavit ethnicus, atque religionem puram suscepit ipse simul & liberi, omnino hoc præcepto functus est: si quis autem liberos suscepit servus, atque unà cum liberis manumissus est, præcepto hoc non fuerit defunctus usque dum liberos procrearit liber: nimirum servi omnino genus est nullum.

VII. Sterilem, anum, ad gignendum inhabilem, natu minorem, quàm ut gignere possit, uxorem duxerit nemo, nisi propagationis præcepto defunctus sit, aut eodem tem-

pore uxorem habeat & aliam, ex qua liberos procreet. Quæ cum viro decem ipſos egit annos uxor, nec peperit, huic vir donationem propter nuptias pendat, atque nuntium remittat, aut aliam inſuper ducat, quæ liberos procreet. Quod ſi nolit, coercetur, fuſtibus multatur uſque, dum uxorem amittat. Nec eſt, quod dicat, unà cum muliere confidam, teſteſque faciam me nunquam futurum eſſe cum ſola ſolum: non mulieri ita dicenti obtemperatur; non viro: verùm enim uxorem miſſam faciet, aut inſuper & aliam ducet, quæ ad pariendum ſit habilis.

VIII. Uxor ſi cum viro, cui ſemen exiliendo celeritatem erumpentis è nervo ſagittæ imitatur, exegit decem annos totos, nec peperit, utique vitium in ipſa reſidet. Itaque diſcedenti ſors donationis propter nuptias non diſſolvitur: diſſolvitur autem acceſſio, quippe cùm mulier iſta non pejore ſit conditione, quàm uxor ad gignendum inhabilis, quam vir non nimis obſervaverat, cui quidem acceſſio donationis propter nuptias penditur ſic, ut inferius diſputabimus. Eſt verò vitium viri ſolius, ex quo ſemen exiliens non emiſſæ ſagittæ pernicitatem aſſequitur & exæquat, qui propterea uxori nuntium remittet, & donationis propter nuptias pendet ſortem & acceſſionem.

IX. Si vir in uxorem, uxor in virum gignendi conferat impedimentum, & hæc cauſam adferat iſtam, quia ſemen è viro non ita perniciter, ut ex arcu ſagitta erumpit, uxori

fides habetur. Atqui viro hoc ſolum tribuitur, ut generaliter diras denuntiandas curet, ſi quis intendat id, quod non ſatis ſciat: tum verò donationem propter nuptias uxori perſolvet. Quæ ſi dixerit uxor, incerta ſum utrùm per me, an per virum ſtet, quominus liberi procreentur, ſors ei donationis propter nuptias ſic, ut ſuprà poſuimus, non pendatur: argentum enim poſſeſſori interea manet, dum uxor exiliens è viro ſemen neget erumpentis è nervo ſagittæ celeritatem imitari: Quid verò? Quid tandem cauſæ eſt, cur uxori de hac quæſtione credatur? Quia enim utrum è viro ſemen erumpat ita celeriter, ut ex arcu ſagitta, ſentit uxor; vir non item.

X. Mulier ſi petit à viro, ut quoniam ſecum ſpatium decem annorum conſedit, neque tamen procreavit liberos, repudium ſibi remittat, utique mos ei gerendus ſit: cui ſi propagatio generis præcepta non eſt, at certè eſt, quod expetat liberos, qui præſidio ſint ſibi ætate confectæ. Vir igitur repudium ei renuntiare cogitur, & pendere quidem ſortem donationis propter nuptias; non item acceſſionem, quam quidem certè mulieri non perſcripſerat eò, ut ſua voluntate diſcedens ſecum auferret.

XI. Quod ſi vir intra ſpatium id temporis ad mercatum abierit, tum ſi vir aut mulier aliquamdiu ægrotaverit, ſi conſtricti vinculis fuerint, tempus illud totum de hoc annorum numero eſt deducendum.

XII. Mulier ſi facit abortum, ab abor-

tione

tione repetetur hujus ſpatij initium. Quæ ſi mulier ſemel atque iterum ac tertiò abortivit, porrò nihil addubitatur, quin ea abortum ſit paſſura perpetuò. Ac viro conceſſum fortaſſe non eſt ut liberos ex ea ſuſcipiat. Itaque nuntium uxori remittet, pendetque donationem propter nuptias.

XIII. Quod ſi vir ea mente, ut reſideat unà cum uxore, uxorem ait intra hos decem annos abortum feciſſe, negat uxor, uxori creditur. Sic enim exiſtimatur uxorem non eſſe eam, quæ ſe ipſa * ſterilem eſſe falsò affirmet. Nam ſi vir factos abortus binos, ternos ait uxor, item uxori creditur, eandem ob cauſam videlicet, quia credibile non eſt mulierem adduci poſſe, ut vanam abortionis perpetuæ famam ſibi ipſa inurat: repudium igitur uxori vir renuntiet, pendatque donationem propter nuptias. Attamen ab ea jusjurandum illud à Sapientibus conditum exegerit in utrumque ſe ſeu nunquam, ſeu ter abortiſſe; quippe quod intendenti vir donationem propter nuptias exolvat neceſſe eſt.

*Quippe quod Judæis quidem probro eſt.

XIV. Primùm igitur cum viro nupta mulier, atque annos decem apud ipſum commorata, nec unquam enixa, ſi repudietur, alteri nubat licet: quîcum ſi rurſus decem annos conſedit, neque peperit, non nubat tertio. Si nupſerit, vir eam miſſam faciat ſine donatione propter nuptias, niſi hic idem uxorem inſuper & aliam habeat, aut propagationis fuerit præcepto defunctus.

XV. Atque mulier ad judices ſi dixerit,

vir meus non poteſt uxori, ut fere fit, navare operam, qua quidem procreentur liberi, non genitale ſemen ex eo ſic, tanquam ex arcu ſagitta, exilit, judices gratiæ componendæ cauſa ſic agant cum muliere, vide, fac virum toleres ad decem annorum ſpatium, tum verò niſi pepereris in jus voca. Id enim illi auctores ſunt: verùm cum viro conſidere nec invita vi cogitur, neque porrò pro contumaci habeatur; ſed rem differre non deſiſtant uſque dum eos redigant in gratiam.

XVI. Hoc propagationis præcepto jam defunctis etiam præſcriptum eſt à Sapientibus, ut quoad per vires corporis liceat liberis dent operam, ea re, quia auxiſſe populum Iſraëliticum homine vel uno nihilo minus eſt, quàm mundum univerſum conſtituiſſe. Iidem vetarunt etiam ſine uxore ſolum eſſe virum, ut cogitationibus obſcœnis ne det locum: & ſolitariam ſine viro domi ſedere mulierem, ut ne veniat in ſuſpicionem.

XVII. Atque uxoris ſuæ quemque zelo teneri convenit: dictum eſt à Sapientibus niſi divino quodam ſpiritu afflatum zelotem uxoris eſſe neminem. Etenim vir ne committat, ut plus ſatis zelotypus ſit, neu per vim comprimat invitam: ſed cavillando jocando ſe volenti conjungat.

XVIII. Mulieri verò præſcriptum eſt à Sapientibus, ut domi verecunda ſit, in conſpectu viri cachinno ſe & petulantia abſtineat: tum ne verbo petat à viro, ut officio geniali

ſatisfaciat, neu de hoc genere toto ſermonem habeat: neu ab complexu viri ſe ſubtrahat, ut cupidum illius animum incendat inopia; ſed quovis tempore cupienti ſe ſe tradat: tum ut ſibi caveat à viri propinquis, & hominibus domeſticis, ne forte uſu veniat, ut in animum viri penetret aliqua zeli aſpiratio: ad extremum ut quàm diligentiſſimè poſſit declinet non turpitudinem modò omnem; ſed etiam id quod ad turpitudinis ſimilitudinem proximè accedere videatur.

XIX. Porrò caverunt etiam Sapientes, vir ut plus honoris uxori quàm ſibi ipſe habeat, ac quàm ſui, tam conjugis ſit amans. Qui ſi divitiis abundet, conjugi pro facultatibus gratificetur: nec terrorem incutiat plus ſatis: leniter ei loquatur, nec ſe ſe moroſum præbeat, aut iracundum.

XX. Similiter à Sapientibus ſancitum eſt, uxor uti virum obſervet majorem in modum, & vereatur: nihil agat injuſſu illius: ſit ei ducis inſtar, atque regis, cui quæ cordi ſunt expetat; vitet autem quæ ſunt odio. Nam hæc eſt ſanctorum ac caſtorum via & ratio Iſraëlitarum mulierum atque virorum connubio junctorum, atque hoc demum pacto decora commoratio conjugum efficitur & laudabilis.



CAPUT DECIMUM ET SEXTUM.

I. QUæcunque tum portantur ab uxore, cùm ducitur, ſeu prædia, ſeu res mobiles, ſeu ſervi, ea ſi perſcripta ſint in inſtrumento dotali, non donatio propter nuptias, ſed dos appellantur. Quæ dos venit in poteſtatem viri, ſiquidem promiſit infecti damni, ut imminuatur ipſi, & amplificetur. Atque hæc illa ſunt bona, quæ * perpetua dicuntur. Si non promiſit infecti damni, dos in poteſtate mulieris erit eatenus, ut ipſi minuatur & accreſcat. Nimirum hæc ſunt illa bona caduca, quæ vocantur.

* Erat hæc olim Hebræorum conſuetudo, ut ad tempus conſtitutũ pecus ſuum paſtorum poteſtati permitterent ea lege, ut ex eo fructus interea loci caperent omnes, & ſi quid ex eodem perderetur, ſubriperetur, periret, periret non domino, ſed paſtori, qui ad præſtitutam diem gregem reſtituebat ſic, ut conveniret numerus. Inde factum, ut hujuſmodi grex diceretur *pecus ferreum*: quia enim ſic tanquam ferrum ſtatu ſemper eodem, domino quidem certè, manebat. Et quidquid dotis viro defert uxor, fundos, res mobiles, ſervos, ancillas, pecus, ex eo, ſicut ex ſuperioribus diſputationibus cognoſcere licet, vir item fructus omnino percipit omnes, quoad mulieri vita ſuppetat: ea verò bona dotalia cùm in litteris illis nuptialibus conſignarentur, & vir promitteret infecti damni, tum ſi quid ex his amittatur, ſubripiatur, aut quoquo modo pereat, vir uxori damnum præſtet ſi eveniat diſceſſio: & ſi vir uxorem relinquat ſuperſtitem, viri videlicet hæredes damnum eidem præſtiterint. Hæc igitur bona dotalia Hebræis tranſlato per ſimilitudinem verbo dicta ſunt item, *pecus ferreum*. Nam bona dotalia, quorum vir non promiſit infecti damni, item & univerſa bona mulieris, quæ in litteris nuptialibus perſcripta non ſunt, iiſdem Hebræis *glabra* dicuntur. Nimirum iſtorum vir non modo fructus capiebat; ſed res ipſas ita rodebat, radebat, & quaſi glabrabat, ut interdum penitus abſumeret: tum verò ſi quid eorum deperderetur, interiret, uxori damnum non præſtabat. Nos autem vel interpretando orationem ad tranſlatorum legem iſtam direximus. *Sed ea transferri oportet, quæ clariorem faciunt rem*: Itaque ſuperiora bonorum genera, quoniam mulieri incorrupta manent uſque, certa, ſtabilia, perpetua: contra verò poſteriora caduca, fluxa, fragilia diximus, verbis ſcilicet immutatis, ſed & ad latinam conſuetudinem magis aptis, & quidem certe minus duris, minuſque longè ductis: Nempe meminimus & alteram tranſlatorum verborum regulam: *Deinde videndum eſt, ne longe ſimile ſit ductum.*

II. Item quæ nec ad virum bona detulit uxor, nec in instrumento dotali perscripsit, seu quia sibi ipsa reservavit, seu quia jam sponsæ hæreditate obvenerunt, aut dono sunt data, ea itidem bona caduca nuncupantur, & in potestate mulieris sunt omnia. Nec quidquam aliud donatio propter nuptias dicitur, quàm centum illi denarij sortis aut ducenti, atque id quod his ultro additur.

III. Uxori donationem propter nuptias à Sapientibus esse decretam ante commemoravimus, & eandem additamenti esse rationem, quam & sortis. Nec verò constitutum est, ut donationem illam uxor quo libuerit tempore auferret: pro debito habetur, quod sit in diem. Nam donatio propter nuptias uxori non ante solvitur, quàm vir mortem oppetierit, uxorique nuntium remiserit. Præterea institutum est à Sapientibus, ut si viro fundus sit & optimus, & pessimus, & inter utrumque intermedius, tum uxor de fundo donationem propter nuptias ablatum veniat, non absolvatur nisi de fundo pessimo: hoc enim est quod à Talmudis scriptoribus *Ziburit* appellatur.

IV. Item constituerunt, ut si post interitum viri mulier donationem propter nuptias petat, non absolveretur ante quàm apprehenso Legis volumine omnium maximè scilicet optabili dejeret nihil à viro intervertisse, ad seque transtulisse: viro donationem propter nuptias nec vendidisse, neque condonasse: tum etiam quibus est ipsa vestita vesti-

bus, earum est habenda æstimatio, & pecuniæ summa de donatione propter nuptias deducenda. Nam vir si voluntate sua remittat nuntium mulieri, donatio propter nuptias utique numerabitur nec ullo exacto jurejurando, neque habita ratione vestium, quibus sit vestita; quippe quia & hæc ei sunt empta, & facta propria, & vir ultro mulierem amittit, non à muliere discidium existit.

V. Porrò constituerunt, ut mulieri viduæ donatio propter nuptias ne solveretur nisi de fundo; ne si bona viri post mortem melioresscerent, ex illa bonitatis accessione donatio propter nuptias dissolveretur; ne puëllæ à morte patris si bona cesserint in melius, ex illo meliori tolerarentur: rursus ne vidua mulier nomine donationis propter nuptias ab eo qui emptas ab ipsius viro possessiones meliores effecisset, melius illud itidem, ut reliqui debitores recuperaret. Atque istæ quidem donationis propter nuptias conditiones faciliores sunt.

VI. Facilior & illa, quod uxori pro donatione propter nuptias detur argentum minus: ut si quis uxorem loco in alio duxisset, amitteret in alio, tum argentum sit deterius ubi discessio, quàm ubi factæ nuptiæ, pendat ejus, in quo facta discessio, loci argentum: contràque si præstantius fuerit argentum ubi discidium evenit, quàm ubi nuptiæ factæ fuerant. Sic enim se res habet, si in instrumento nuptiali fuerat argentum simpliciter perscriptum: verùm si argentum certo quo-

dam modo ſignatum nominatim dictum eſt, donationis propter nuptias tam ſortis quàm additamenti eadem ratio, quæ ſit argenti mutuò dati, quod ſi datum eſt certa ratione ſignatum, eadem ratione reddendum, ſic, ut tractatu de mutuo diſputabitur.

VII. Conſtituerunt autem omnino omnium accademiarum principes, ut quomodo creditori debitum, item poſt viri mortem uxori donatio propter nuptias etiam de re mobili ſolveretur. Quod quidem inſtitutum multo maximus Judæorum numerus amplexus eſt. Jam cæterarum, quæ ſunt in inſtrumento dotali adſcriptæ, ſtipulationum eadem eſt ratio, quæ donationis propter nuptias: omnibus in fundo juxta, atque in re mobili locus. De filiis autem ad quos perveniat matris hæreditas non omnium invenitur accademiarum eſſe conveniens conſtanſque conſuetudo. Quocirca mihi quidem ita videtur, ex ſententia Talmudica ſtatuendum eſſe: ut ſi matris donatio propter nuptias ad filios hæreditate veniat, hi niſi de fundo non abſolvantur.

VIII. Jam verò cunctis in locis quæ vel vidimus, vel auditione & fama accepimus, mos inceſſit ut in perſcriptione dotali pro donatione propter nuptias nominatim oppigneretur fundus æque ac res mobilis. Omnino præclarum eſt hoc inſtitutum, quod à magnis & intelligentibus viris uſurpatum eſt. Nam pactum iſtud in re pecuniæ fit: ergo vidua mulier non ex inſtituto neotericorum, ſed ex pacto abſolvitur.

IX. A quo autem id in dotalibus litteris perſcriptum non eſt, uxor eſt incautè ducta, ut ſi vir iſte cùm in matrimonium duceret uxorem, magiſtrorum illud inſtitutum non ignoraret, uxor donationem propter nuptias etiam de re mobili auferret: ſi aut ignoraret, aut addubitetur ignoraret, an non, de re tota diu & multum conſultabitur: neque enim magiſtrorum inſtituti ea vis eſt, ut ſi nihil ſit dictum nominatim, propter illud tamen item, ut propter dotales illas conditiones, quæ ſunt à majori illo ſenatu inſtitutæ, pecuniam ab hæredibus exigamus.

X. Præterea autem conſtituere Sapientes, ut univerſa viri bona forent donationis propter nuptias pignus ac cautio: ut pro donationis propter nuptias omnino centum denariis fundus aureorum mille totus oppigneretur. Et quidquid de bonis ſuis vir vendidit à nuptiis, ut ſit rata venditio, atque etiam viro omnia quæ poſſidet liceat divendere bona, uxor, tamen ſi repudium ei vir renuntiet, aut morte occumbat, pro donatione propter nuptias abripiet ab emptoribus, ſiquidem ea, quæ nemini ſint emancipata, bona reperire non licet. Quæ cùm ab emptoribus abripiet apprehenſo Legis volumine quàm optabili jusjurandum dabit ſic, ut fere creditores omnes facere jus eſt. Atque inſtitutum illud eò ſpectat, ut uxoris donatio propter nuptias ne viro momenti levioris eſſe videatur.

XI. Jam ſacramentum illud, quo vidua mulier, cùm donationem propter nuptias

ablatum veniat, adigitur aut ab judicibus, aut ab hæredibus, illud nisi extra judicium non dicitur. Nimirum judicum confessus deterretur ab accipiendo à muliere jurejurando propterea quia veretur, ut de sacramento dicendo magno laboret opere mulier: atque ut pupilli mulierem antequam donationem propter nuptias auferat voto quolibet obligent etiam in conspectu judicum licet.

XII. Jam si vidua mulier è vita decessit ante, quàm jusjurandum daret, nihil perveniet de donatione propter nuptias ejus ad hæredes: etenim donatio propter nuptias mulieri ante, quàm sacramentum dixit, nulla debetur. Quæ si ante sacramentum dictum connubio se viro junxit, post nuptias etiam jusjurandum dabit, & quando libuerit donationem propter nuptias auferet: non item votum nuncupabit uti donationem propter nuptias auferat, quippe quod viro licet irritum facere.

XIII. Si quis uxori pro donatione propter nuptias certum quendam agrum assignavit seu termino ex uno, seu ex quatuor, hæc inde donationem propter nuptias auferet nec ullo dato jurejurando: item si quis certa quædam supellectilia perscripserit uxori pro donatione propter nuptias, cùm eadem ipsa siquidem servata sint uxor auferet sine sacramento, tum verò si pretio istorum altera parata sunt, si modò constet illa altera superiorum esse pretio empta, nullo dicto sacramento auferet.

XIV. Quæ delibavit donationem propter nuptias, ea porrò, nisi jusjurandum dederit, non absolvetur. Ut si mulier dotales litteras proferat, in quibus ei sint drachmæ perscriptæ mille, quas vir ait omnino dissolutas, illa partim solutas, partim etiam debitas, residuum illud, nisi sacramentum dicat, non acceperit, ut de accepta parte testes fecerit, ut etiam bene subducta ratione eorum, quæ unciatim accepit, summam fecerit.

XV. Vir si donationem propter nuptias à muliere totam ait acceptam esse, illa se negat accepisse quidquam, atque testis est unus donationem propter nuptias uxori persolutam esse aut ex toto, aut ex parte, omnino donatio propter nuptias ei nisi intercedente jurejurando non dissolvetur.

XVI. Atque etiam absente viro donatio propter nuptias non sòlvitur mulieri, nisi cùm juraverit: ut si quis repudium uxori renuntiavit, discessit, judices invadunt ejus bona, qui mulieri persolvant donationem propter nuptias statim, atque jusjurandum dederit: nempe vir si concessit in regionem ita longinquam, vix ut eum judices rei certiorem facere queant. Nam si propius absit, mittitur, qui rem homini nuntiet: tum verò nisi revertatur, mulier jusjurandum dederit, donationem propter nuptias abstulerit.

XVII. Mulier si donationem propter nuptias imminuit, sine sacramento absolvitur: ut si dotales litteras attulerit, in quibus ei drachmæ sint perscriptæ mille, vir aïat, acce-

pit totum quantum eſt, neget ipſa ſe accepiſſe quidquam, & addat omnino donationis ſuæ propter nuptias drachmas eſſe quingentas: quod autem mille ſint drachmæ perſcriptæ, id bona fide inter ſe comparatum eſſe, ſine ſacramento abſolvatur. Nam ſi mulier ita dicat, at in litteris dotalibus meis omnino quingentæ mihi drachmæ perſcriptæ ſunt, ex hac ſingrapha mille drachmarum, nihil illi pendetur, quippe quam mulier ipſa nullam efficiat. Atenim conceptum illud jusjurandum vir jurabit, & liber erit.

XVIII. Atque ubi commemoravimus nihil mulieri perſolvi, niſi cùm jusjurandum dederit, hîc cum ea conſeſſus judicum ita loquitur, jura & abſolveris: & ubi poſuimus mulierem ſine ſacramento abſolvendam eſſe, ibi viro judices ita dicunt, abſolve uxorem, non creditur quod intendas, niſi rationibus confirmaveris.

XIX. Quod ſi vir ſponte ſua poſtulat, uxor ut ſacramento refellat quod intenditur, item cum uxore judices ita loquuntur, jura; abſolvere, & apprehenſo Legis volumine perquàm expetendo jusjurandum dederit. Vir enim ſi paciſceretur ut uxor ſine ſacramento donationem propter nuptias auferret, aut quidquid ab illa intenderetur, ei rei fides eſſet, omnino à viro ſine jurejurando mulier abſolvitur: non abſolvetur autem ab hujus hæredibus niſi jusjurandum dederit.

XX. Si verò cum uxore conſtitutum eſſet, ut ſine ſacramento donationem propter nu-

ptias etiam ab hæredibus auferret, & quidquid contra hos ab ea intenderetur, haberetur ei fides, & ab hæredibus quoque ſine jurejurando abſolveretur: non item bona viri vendita ſine ſacramento ad ſe retraheret, ſi vir illi credi voluit. Nam conventio viri ſi valet in ipſum & ejus hæredes, at certè ad rem alienam perdendam non valet.

XXI. Vidua mulier ſi perſcriptionem dotalem proferat, dato jurejurando donationem propter nuptias vel centum poſt annis accipiet uſque. Nec quidquam intereſt, utrum in domo viri remanſerit, an ſe receperit ad patrem. Sin perſcriptionem dotalem exhibeat nullam, nihil obtineat ne ſortem quidem donationis propter nuptias, ut illam poſcat eodem ipſo die, quo vir à vita diſcedat. Eadem ratione & mulier repudio amiſſa ne ſortem quidem donationis propter nuptias acceperit uſque dum litteras illas dotales exhibeat.

XXII. Sic ſe res habet ubi donationem illam propter nuptias perſcribere moris eſt. Quod cùm non eſt in more poſitum, ſed judicum illa ſtipulatione confiditur, hic ſi nullam habeat perſcriptionem dotalem, tamen ſortem donationis propter nuptias accipiat, & repudio amiſſa, & vidua mulier: nec verò refert ad virum, an ad patrem ſit. Verùm acceſſionem donationis propter nuptias niſi rationibus evidentibus probarit, nuſquam obtinuerit.

XXIII. Quod igitur ad tempus vidua

mulier accipiet ſortem donationis propter nuptias ubi perſcriptio dotalis fieri nulla ſoleat? Nempe ſi reſideat in domo viri, vel in perpetuum acceperit: ſin ad patrem receſſerit, ad annum ab obitu viri quintum & viceſimum. Poſthac ſi quid petat, nihil obtineat; quia enim ſi donationem propter nuptias non condonaſſet, tamdiu non ſileret: neque enim eſt, quod dicat donationem propter nuptias ego ab hæredibus unas ædes mecum habitantibus petere erubeſcebam, ſiquidem cum hæredibus non commoraretur.

XXIV. Hæres igitur ipſe ſi mulieri cibaria portavit in domum patris, ac conſuluit rationibus ejus & proſpexit, poſt quintum & viceſimum annum etiam jus erit mulierem exigere donationem propter nuptias: hæc enim quòd conticens erat, nec exigebat donationem propter nuptias, iſthæc cauſa fuit & ratio, quia pudebat eam hæredis.

XXV. Uxor cùm ait ſe viro nupſiſſe virginem, ac propterea donationis ſuæ propter nuptias eſſe denarios ducentos, vir contrà vel ejus hæres dicat ductam eſſe mulierem, nec donationis illius amplius eſſe denarios centum; ſi eſt, ut ſint teſtes, qui viderint huic nubenti parari, quæ nubenti virgini ſolent ad ejus urbis incolas, certa quædam genera lætitiæ, coronæ, veſtis, aliarumque rerum, quibus ſolæ nuptiæ virginum decorantur, ducentos accipiet donationis propter nuptias denarios. Si nulli fuerint teſtes, omnino donationis propter nuptias centum denarios

accipiet. Quod ſi vir agat, mulieri eſt in manu, ut ab eo, quoniam petitionis partem ipſe confitetur, jusjurandum à Lege perſcriptum exigat. Etenim fides habetur homini adoleſcenti, qui ita dicat, memini me puero cum hac nubente ſic tanquam cum virgine agi. Quæ quidem omnia ea ratione ſtatuuntur, ubi litteræ dotales perſcribuntur nullæ, ſic, ut ante poſui.

XXVI. Mulier ſi viro præſenti præſens dixerit, tu mihi remiſiſti nuntium, fides ei habeatur: neque enim coram viro mulier impudenter agit. Itaque mulier ſi proferat non repudij libellum; ſed perſcriptionem dotalem, & eadem viro præſenti dicat, tu mihi repudium remiſiſti, libellum amiſi, donationem propter nuptias repræſenta; vir contrà, non ego renuntiavi repudium, omnino ſortem donationis propter nuptias virum mulieri perſolvere jus eſt: verùm acceſſio diſſolvenda non erit, niſi mulier repudium eſſe remiſſum probarit, aut repudij libellum unà cum perſcriptione dotali protulerit.

XXVII. Quod ſi cum muliere vir ita agat, ſic eſt, repudium ego renuntiavi, prorſuſque perſolvi donationem propter nuptias, ſortem & acceſſionem, reſcripſit apocham, amiſi, viro quando repudij inficiatione potuit acceſſione donationis propter nuptias ſe liberare, fides habetur eatenus, ut mulierem adigat ſacramento, illo videlicet, quod apprehenſo volumine Legis perquàm expetendo dicitur, & donationis propter nuptias ſortem

dissolvat: tum ipse in accessionem conceptum illud jusjurandum juret.

XXVIII. Mulieri cùm apportet divortij litteras, nec ullam dotalem perscriptionem proferat, si loci consuetudo est, ut litteræ dotales nullæ perscribantur, his quas proferat divortij litteras omnino obtineat sortem donationis propter nuptias. Quod si dotale instrumentum assolet ibi loci perscribi, mulier nisi perscriptionem dotalem protulerit, ne sortem quidem donationis propter nuptias obtineat, sic, ut ante disseruimus. Atenim vir in intentionem mulieris conceptum illud jusjurandum dabit, & liberabitur.

XXIX. Mulier si binos repudij libellos, binasque litteras dotales protulerit, donationes propter nuptias acceperit duas. Eadem si litteras dotales proferat duas, unum repudij libellum, donationem propter nuptias accipiet non amplius unam. Sed utram harum? Nempe si perscriptiones dotales sint inter se pares, posteriori fit irrira superior: ut postea quàm posterior facta fuit duntaxat divendita viri bona mulier ad se retrahat. Sin autem in una, quàm in altera plus sit donationis perscriptum, optio mulieri datur eligendi quam velit, atque altera fit irrita.

XXX. Mulier si proferat libellos repudij duos, unam perscriptionem dotalem, non accipiat plus una donatione propter nuptias: quippe cùm uxor amissa reducitur, nec ulla instituta conditione, per superiorem illam perscriptionem dotalem reducitur. Quæ post

interitum mariti proferat & perſcriptionem dotalem, & divortij litteras, ſi perſcriptioni dotali litteræ divortij anteceſſere, primum his mulier auferet ſortem donationis propter nuptias, ubi loci perſcriptio dotalis fieri non ſolet: tum deinde quidquid in perſcriptione illa dotali dictum eſt, quod quidem interitu mariti obtinuit: ſin autem divortij litteris anteceſſit perſcriptio dotalis, mulier non auferet plus una donatione propter nuptias; quippe cùm ſuperiori perſcriptione dotali reducta fuerit.

XXXI. Mulieri virum ſuum à vita diſceſſiſſe prædicanti eò, ut rurſus nubere queat, credendum eſt, quemadmodum tractatu de divortiis copiosè explicabitur: atque hæc quidem eſt una è ſtipulationibus dotalibus, ut ſi ſecundum interitum mariti mulier alteri nupſerit, auferat à ſuperiore quidquid donationis propter nuptias ei perſcripſerat in litteris nuptialibus. Itaque mulier ſi adiſſet judices ita prædicans, vir ille meus morte obiit, vos mihi date licentiam nubendi alteri, de donatione propter nuptias nequaquam meminiſſet; cùm nubendi copia daretur; tum etiam exacto jurejurando diſſolveretur ei donatio propter nuptias. Sin judices adiſſet, atque ita diceret, vir meus vita exceſſit, vos mihi donationem propter nuptias perſolvite, ne hoc quidem illi concederetur, ut alteri nuberet. Nimirum iſtam ob donationem propter nuptias veniſſe, virum autem etiamnum in vivis eſſe crederetur: nec eſſe nubendi conſilium mulieri,

mulieri, ſed accipiendæ donationis propter nuptias vivente viro. Sin mulier veniſſet ad judices, atque ita diceret, vixit vir meus, vos mihi nubendi copiam date, ſolvite donationem propter nuptias, & nubendi licentia permitteretur, & donatio propter nuptias ei dependeretur, quippe cujus poſtulatio præcipuè pertineat ad nuptias: ſin veniſſet ad judices, atque ita diceret, vos mihi donationem propter nuptias pendite, item & permittite licentiam nubendi, hoc illi permitteretur, non daretur illud: quanquam ſi donationem propter nuptias accepiſſet, porrò ab ea non exigeretur.

CAPUT DECIMUM ET SEPTIMUM.

I. UBi vir extinguitur is, cui plures in matrimonium collocarentur mulieres, ibi donationem propter nuptias auferat ex ordine collocationis alia prior alia, nec ulla ſine jurejurando. Itaque poſtremæ nihil erit aliud quàm quod à proximè ſuperiore relictum fuit; quod ipſum dato jurejurando demum auferet. Vel æris alieni tabulæ cùm proferantur, ſimul unà litteræ dotales, ſiquidem vir haberet æs alienum priùs, quam uxorem, creditor priùs abſolvatur, quàm uxor: ſin litteræ dotales tempore ſuperiores ſint, primùm donatio propter nuptias uxori diſſolvatur: tum ſi quid ſuperet, creditori dependeretur.

II. Sic ſe res habet, ſi cùm duceretur uxor, aut argentum mutuum ſumeretur, jam tum emptus eſſet fundus hic, unde ſuum quiſque debitum jam nunc receptum veniunt: omnino hîc æqui & boni ratio poſtulat, ut cujus tabulæ ſint prius factæ, is itidem viri fundum primus obtineat: ſi quis autem multas deinceps duceret uxores, & idem ſeu poſt ſeu ante nuptias pecuniam mutuam acciperet, ac poſtea demum mercatus eſſet agrum, hic verò omnibus diſtribueretur æqualiter; quia enim ſimul una pignori opponeretur ager omnibus. Nam homo cùm agrum mercaretur, jam tum erat omnibus obligatus: nullus igitur hîc eſſet antecedendi locus.

III. Eadem ratione ubi litteræ dotales & tabulæ datæ ſint ad eandem diem & horam, (adſcribuntur enim & horæ quibuſdam locis) æquabilis erit facienda partitio, neque dabitur antecedendi locus. De rebus autem mobilibus ſi præoccupatum eſt tantum, quanta ſit donationis propter nuptias, aut debiti ſumma, nemini adimitur unquam: neque enim mobilibus in rebus antecedendi locus eſt.

IV. Cùm uxori nuntium remiſit, qui idem debeat per tabulas, tum ſi cum uxore pariter debiti admoneat creditor, ſitque debitori pecunia juxta, atque fundus, quanta ſit ſumma donationis propter nuptias, & debiti, pecuniam auferet creditor, & uxori diſſolvetur de fundo donatio propter nuptias. Sin autem fundum modo debitor habeat eum, unde non poſſit ambobus fieri ſatis, neque porrò jus

antecedendi fuerit, prorſus abſolvetur creditor: mulier autem ſi quid reliquum fuerit, accipiet: ſin minus, hanc verum eſt creditori concedere. Namque creditor in expenſa pecunia jacturam faciat; mulier verò omnino nullam, quia enim vir eſt conjugij ſanè quàm appetens, mulier etiam multò magis.

V. Eodem modo ſi vir mortuus uxorem liquit ac creditorem, & idem omnino fundum unum, in quo non ſit antecedendi locus, item creditori, uxore poſthabita, primo diſſolvatur nomen totum.

VI. Nunc igitur quoniam magiſtri illi conſtituere, ut de re mobili uxori æque, ac creditori diſſolvatur, idque liquet, juri antecedendi non eſſe locum in re mobili, conſentaneum eſt; ut ſi vir mortuus rem mobilem reliquerit, quæ non ſuppetat ad abſolvendum creditorem ſimul & uxorem, primo nomen illius expediatur totum: poſtea ſi reliquum fuerit quod pro donatione propter nuptias jus eſt uxorem ſumere, ſumat: ſi non, cedat.

VII. Si in inſtrumento dotali perſcripta ſunt bona illa perpetua, & hæc eadem à viro amiſſa ſumpta intendit mulier, eo nomine quidem certè creditorum in numero ducetur. Dabit igitur jusjurandum neque id ſe intervertiſſe, neque viro dediſſe, neque porrò condonaſſe; tum verò viri bona partietur unà cum creditoribus cæteris.

VIII. Pluribus jugatus uxoribus ſi mortem occumbit, ſi omnes amittit, nec habet, unde donationes propter nuptias omnino ſol-

vat omnes, neque ſit antecedendi juri locus, de partiendi ratione videndum erit. Si eſt, ut viri bonis pro uxorum numero diviſis omnium minime donatæ omnino obtingat ſua donatio propter nuptias, aut eo minus, partitio erit facienda æquabilis: ſin eſt autem, ut bonorum copia major ſit, primùm ita diſpertietur, ut minime donatæ obtingat ſua donatio: tum deinde reſiduum hac eadem ratione reliquis rurſus diſtribuetur: ut ſi quis uxores habeat quatuor, quarum uni quadringentos pro donatione propter nuptias denarios perſcripſerit, trecentos alteri, tertiæ ducentos, quartæ centum, ex quo omnino mille ſit denariorum ſumma, is ſi repudium uxoribus renuntiat, ſi vitam cum morte commutat, & denarios duntaxat relinquit quadringentos, paucioreſve, æqualis fiet diviſio inter mulieres, ut unicuique denarij centum, aut eo minus obtingat. Qui idem ſi denarios reliquerit octingentos, ſane æquabili facta partitione inter mulieres, cuique ducenti obveniant denarij: atqui mulieri ordine quartæ centum omnino denarij pro donatione propter nuptias perſcripti ſunt. Quinam igitur agendi modus? Nempe de univerſa pecunia dementur quadringenti denarij, qui mulieribus quatuor diſtribuantur æqualiter. Sic enim efficitur, ut donationem propter nuptias mulierum quarta quidem totam accipiat, eat: reſtabunt igitur denarij nummi etiam quadringenti, & mulieres ternæ, quarum unicuique jam diſſoluti ſunt denarij centum.

Atenim hos quadringentos denarios ſi deſcribas æqualiter ternis mulieribus, eveniet; ut tertia auferat tres denarios & triginta & ducentos, addita tertia nummi parte, cùm pro donatione propter nuptias ei ſint denarij non amplius ducenti. Quapropter de quadringentis his nummis dementur etiam trecenti, qui ternis mulieribus diſpertiantur æqualiter, ita; ut mulierum tertia nummos ducentos ſuæ donationis propter nuptias auferat, eat. Superant nummi centum, binæ mulieres: hæc denique ſumma primæ & ſecundæ deſcribetur æqualiter: ita fiet, ut ducentos quinquaginta denarios accipiat omnium prima, item & ſecunda: tertia denarios ducentos, & quarta centum. Atque ad hanc rationem partitio facienda ſemper, ſi mulieres numero centum fuerint.

IX. Si quis alicujus uxori donationem propter nuptias pro marito ſpopondit, quamvis hic idem ſtipulatione ſe ſe alligarit, nihilo magis donatio propter nuptias ei dependenda ſit. Hic enim rem piam patravit, nec ejus cauſa quidquam expendit mulier. Pater pro filio cùm donationem propter nuptias ſpopondit nurui, idemque ſtipulatione ſe alligavit, ſolvet utique. Etenim pro filio pater prorſus ſe ſe obligat, & addicit. Qui recepit in ſe uxoris donationem propter nuptias, hic eam ſolvet, etiamſi nulla ſtipulatione ſe ſe alligarit. Sed quæ tandem eſt in ſe recipiendi formula? Nempe mulieri ſi quis dixerit, tu illi nube, & hanc ego donationem propter

nuptias tibi daturus ſum : verùm enim ſi quis ita dixerit, hujus ego donationis propter nuptias jam nunc ſponſor exiſto, iſtam ego dependam, iſtam ego debeo donationem propter nuptias, & horum ſimilia, is ſane liber erit, niſi confirmator idem & pater exiſtat. Atqui uxorem hac ratione ductam amiſſurus ſe porrò ab iſta nullam unquam percepturum eſſe voluptatem voveat oportet : tum deinde demum donatio propter nuptias ei dependetur aut ab eo, qui uxoris donationem propter nuptias in ſe recepit, aut etiam ab patre mariti ſponſore. Eſt enim metuendi locus, ne vir uxorem à ſe repudiatam reducat, ac compoſito factum ſit quomodo rem hujus habere poſſent.

X. Et qui facultates ſuas dedicavit, is ſi deinde nuntium uxori remittat, itidem voveat opus eſt ſe poſthac nihil à muliere commodi capturum, ut ab ſacrorum redemptore donatio propter nuptias ei ſolvatur, ne uſu veniat, ut de compacto ſacra uſurpent. Hoc eodem voto obſtringi renuntiantem uxori repudium, ea cùm pro donatione propter nuptias rem mariti repetat ab emptoribus, nihil requiritur. tranſlatitium dabitur à muliere jusjurandum, atque donationem propter nuptias ab emptoribus abripiet. Quin etiam viro conceſſum eſt, ut uxorem volentem reducat. Nimirum emptores quando non erant neſcij hominem nomine donationis propter nuptias obſtrictum uxori eſſe, ultro rei jacturam fecerunt mercantes ea, quæ mulieri obligarentur.

XI. Si postquam possessiones suas vir vendidit, emptori scriptum dedit uxor: *Nihil quidquam mihi tecum neque juris, neque rei*, factum viri comprobavit, stipulatione * se alligavit, nihilo secius emptori suam illa donationem propter nuptias adimat: illa videlicet scriptum istud non alia de causa dederat, nisi ut viro secum jurgium ne existeret: est autem quod dicat, viro ego meo obsecuta sum. Quòd si cum uxore primùm transactum est, ut certum quoddam ei prædium ne obligaretur, tum postea demum vir divendit, id quidem certè mulier nunquam recipiet. Jam vir cùm vendidit prædium, idemque postea jussit, emptori scriberet uxor sibi cum eo nihil esse rei, illa non scripsit, factum improbavit, & tandem evenit, ut venditionem irritam, infectamque esse vellent, idemque rursus alteri vendidit prædium seu idem, seu aliud, atque sub venditionem viri factum approbavit uxor, & transegit prædium istuc ut ne sibi pignori esset oppositum, itidem illud emptori nunquam adimere queat. Hîc enim non est quod dicat, ego viro meo morigerata sum, quippe quæ eadem negotium primum cùm nollet voluntati viri obsecuta non sit.

* Est hîc mendum in Hebræo verbo apud editionem 1574. in parvo folio.

XII. Qui duas habeat uxores, is si prædium vendiderit, ac cùm uxorum prima ut hoc illi prædium ne obligaretur, neve posset ab emptore repetere, transigeretur, atque ita transigeretur; ut se marito obsecutam esse dicere nequeat, idemque mortem occubuerit, vel

uxores miſſas fecerit ambas, earum altera prædium ab emptore recuperet, quia enim cum iſtac pro emptore nihil deciſum erat: tum verò ab uxore ſecunda prædium repetet prima, quippe quæ ſecundæ antecedat, & niſi emptori prædium pignori ſibi obligatum ſolvit nemini: ad primam cùm rediit prædium, rurſus ab ea emptor repetet, quando cum hac erat pro emptore deciſum, itque in orbem uſque, dum rem cum bona gratia inter ſe componant.

XIII. Quæ mulier relicta fuit vidua ſeu à nuptiis, ſeu à ſponſalibus, ea dato jurejurando uti ſibi donatio propter nuptias exolvatur, prædium viri vendiderit aliquod inſpectante judicum conſeſſu: qui nihil refert ſint omni laude cumulati, necne, modò tres ſint homines idonei, quibus habeatur fides, & iidem poſſeſſionum æſtimandarum intelligentes: atque etiam reliquæ pupillorum poſſeſſiones pro vendito prædio pignori opponuntur. Ea verò, cui repudium eſt renuntiatum, mulier non à viro prædium vendet niſi præſentibus judicibus, iiſque maximè ſpectatis. Jam quod ad conſeſſum judicum venditur, voci præconis ſubjiciatur neceſſe eſt. Atqui venditio ad judices quo fiat pacto, tractatu de mutuo ſane diligenter diſputatur. Quæ verò venduntur nec ullo judicum conſeſſu adhibito, hæc nec præconis voci ſubjici oportet: verumtamen id prorſus neceſſe eſt, ut venditioni tres interſint homines idonei, quibus credatur, & iidem etiam æſtimandi prudentes.

XIV. Nam mulier vidua cùm pro donatione propter nuptias ſibi debita relictum à viro prædium vendiderit per ſe ipſa, ſiquidem ſuo vendidit pretio, venditio rata ſit: verùm enim poſt venditionem ſolemni viduarum jurejurando adigetur: * ita eſt enim ſi prædium mulier vendidit; verùm ſi ſibimet addixit, irritum, infectumque ſit, ut etiam ſub præcone ſubjecerit.

* Hebraïcum illud pronomen in editione 1574. in parvo folio mĕ loſum eſt, fœmininum pro maſculino.

XV. Jam vidua mulier, cui ſint pro donatione propter nuptias denarij nummi ducenti, ea ſi quod denariorum eſt centum vendidit ducentis, contràve vendidit denariis centum quod ducentorum eſt, donationem propter nuptias accepit totam, neque ea præterea quidquam habet, & viduarum jusjurandum ſolemne dederit. Et cui ſunt denarij pro donatione propter nuptias centum, ea ſi quòd centum & uno denariis valet, omnino centum vendidit, venditio ſit irrita, ut profiteatur ſe hæredibus denarium reddituram.


XVI. Cui fuerint pro donatione propter nuptias denarij quadringenti, hæc ſi denariis centum vendidit uni, & item alteri quod valet tantundem: poſtremò autem emptori vendidit denariis centum, quod denariorum eſt centum & unius, omnino venditio poſtrema irrita fuerit: ſuperiores autem firmæ ſint omnes.

XVII. Eſt hoc mulieri in manu, ut cui velit ſuam donationem propter nuptias aut vendat, aut dono det: ut ſi vir morte occu-

buerit, repudiumve renuntiaverit uxori, ejus donationem propter nupias hic accipiat: mulierem verò ſi vir extulerit, ſi mors oppreſſerit ante, quàm ſolemne jusjurandum dederit, nihil ei ſit donationis propter nuptias.

XVIII. Atque etiam mulier ſi partem ſuæ donationis propter nuptias vendidit, ſi pignori oppoſuit, ſi dono dedit, reliqui accipiendi cauſa prædium viri vendiderit vel præſentibus judicibus, vel ternis hominibus idoneis. Atque in ſuam donationem propter nuptias vendiderit mulier multa multoties, adhibitis ſeu judicibus, ſeu ternis hominibus idoneis, qui iidem æſtimandi prædij periti ſint.

XIX. Mulier ſi donationem propter nuptias vendidit homini alieno, virove; cætera tamen pacta ac conventa dotalia non exuit: ut ſi filium habet, is bonis è patriis præter partem legitimam, auferat etiam quanta ſit divenditæ donationis propter nuptias ſumma ex ſtipulatione nuptiali. At verò mulier ſi donationem propter nuptias viro condonavit, reliquorum ſimul conventorum dotalium jacturam fecerit, ut ne victus quidem exigendi jus habeat. Et ſicut ad alia condonanda, item ad condonandam donationem propter nuptias neque teſtibus, nec ſtipulatione opus eſt; ſed dicto: dicatur verò non per riſumac jocum; ſed ratione conſtanti & gravi, cui verò ſit, quod credat animus.



CAPUT DUODEVICESIMUM.

I. VIdua quidem mulier, ſi vidua vixerit, ſumptibus eorum, qui viri cernunt hæreditatem, alitur interea, dum ſuam illam donationem propter nuptias accipit: quam ut exegit ad conſilium, alimenti haud quidquam amplius à viri hæredibus ei fuerit. Eadem ſi donationem propter nuptias vendidit totam, pignori oppoſuit, alteri obligavit; ſi huic ita dixit, tu tuum hinc repetes debitum, nihil ei ſuppeditent ad victum hæredes. Nec quidquam intereſt, utrum à muliere iſthæc confecta ſunt ad ſpectatum conſilium, an ſecus: vivo, an mortuo jam viro. Sin autem partem duntaxat vendidit donationis, alimentum ei præbendum erit. Jam vidua ut viro pacta fuerit alteri, alimenti jacturam fecerit.

II. Et tanquam victus viduæ mulieri demortui de viri bonis, item veſtitus, ſupellex, & habitatio dabitur: quæ, ſi videtur, conſidebit in eodem, quod unà cum viro habitaverat domicilio. Culcitris, tegminibus, mancipiis, ancillis utetur iiſdem, quibus & dum vir in vivis erat. Quod ſi domicilium corruat, ab hæredibus illud reſtitui jus non eſt: nec verò audienda mulier, ſi velit ab hæredibus ſibi permitti, ut domicilium de ſuo ipſa reædificet: porrò nec ipſa rimas expleat, neque tectorium inducat; aut domum, utcunque

eſt, habitet, aut deſerat: hæredes verò ſi domicilium viduæ mulieris vendiderint, venditio irrita fuerit.

III. Viro ſi corruiſſet domicilium, aut mercede tantum eſſet conductum, habitatio viduæ mulieri dabitur pro dignitate ſua: atque ad dignitatem mulieris quoque accommodatur victus & veſtitus. Quod ſi vir mulieri dignitate præſtet, pro dignitate viri cuncta tribuentur mulieri, cui hoc conceſſum eſt, ut per virum ad altiorem dignitatis gradum aſcendat, nunquam deſcendat ad inferiorem, ne poſt mortem quidem.

IV. Eſt in contubernio ac convictu emolumentum haud mediocre: Quinis hominibus, quorum unicuique ſeparatim epulanti frumenti modius ad victum requiritur, cibum ſimul unà capientibus nimirum ſufficiunt modij quatuor: atque eadem eſt reliqui pœnoris ratio. Quare ſi uſu veniat, ut mulier vidua ita dixerit, ego ab patre meo nunquam diſcedam, vos decernite mihi quid ad victum ibi tribuatis, haud injuria hæredes ei, tu ſi nobiſcum conſideas, habebis à nobis quod ad victum ſuppetet: ſin minus, dabimus omnino pro rata portione convictus. Quæ ſi vidua ſuam & hæredum ætatem integram cauſetur, utique dabitur ei quod ad victum ſoli ſuppeditet, & habitabit cum patre: jam viduæ mulieris victus & veſtitus reliquiæ redeunt ad hæredes.

V. Implicita morbo vidua ſi medicina indiget cujus ſit æſtimatio nulla, nimirum ea vi-

ctûs loco ponitur, atque mulierem curare hæredum est. Nam si medicinæ sit æstimatio habita, mulier de sua se donatione propter nuptias curet. Vidua si capta sit non est hæredibus redimenda, ne fratria quidem. Et quæ vivente viro caperetur mulier, si captiva tenetur etiam post ejus obitum, redimetur non de viri pecunia, sed de sua, vel donationem propter nuptias accipiet, unde se ipsa redimat.

VI. Hæredes viri viduam extinctam sepultura afficere jus est. Quæ si post datum solemne viduarum jusjurandum demum de vita discessit, pecunia donationis propter nuptias ejus ad hæredes lege redit. Atque horum est etiam & mulierem curare sepeliendam; non illorum qui cernunt hæreditatem viri. Nam quod vidua quæritat opera & manu, id viri pertinet ad hæredes. Qui si viduæ mulieri dixerit viri hæres, tu tuum accipe pro victu laborem, nullatenus audiendus sit: idem expetenti mulieri conceditur.

VII. Quid operæ cunque viro navet uxor, & vidua pupillis oportet, exceptis tribus, miscere pocula, lectum sternere, & lavare manus & pedes.

VIII. Vidua si fortuitò quid inveniat, si qui fructus sint earum, quas secum apportaverat, rerum, omnino omnia mulieris, nihil quidquam hæredis fuerit.

IX. Dotem verò sine jurejurando vidua recipit: neque enim hæredes viri ullo jure contendent de isto rei genere, nisi eadem & fuerit

perpetua, & vivo viro amplificaretur: quippe cujus rei amplificatio ad virum pertineat. Jam ſi nec ullo dato jurejurando diem ſuum obiſſet vidua, ad ipſius hæredes lege redit dos ejus, etiamſi ſit res perpetua. Quæ ſi res aucta ſit, viri obvenit hæredibus amplificatio.

X. Vidua ſi res mobiles in victum occuparit vivo, vel mortuo viro, non ei adimuntur, non, ſi talentum auri cepit: verùm accepti rationem ſcribit ei conſilium, victum decernit, atque ratio cum ea putatur. Jam de eo quod tenebit mulier aletur interea dum vel è vita excedit, vel non debetur ei victus ab hæredibus: qui denique recipient, mulier ſi quid occupatæ rei faciat reliquum.

XI. Eadem ſi viro etiam vivo res mobiles occupavit in ſuam donationem propter nuptias, de his quidem poſt viri obitum abſolvetur: non ita, ſi poſt interitum viri demum in ſuam donationem propter nuptias res cepit mobiles, quamvis id ſit à magiſtris illis conſtitutum, mulier ut de re mobili quoque donationem propter nuptias acciperet. Atqui dotalibus etiam pactis in re mobili locus eſt: unde fit, ut alatur etiam de re mobili vidua mulier, ut nihil quidquam occupaverit.

XII. Et vir ſi reliquit rem mobilem, nec eam vidua cepit, capient hæredes, qui mulieri victum præbebunt: nec verò eſt mulier quod hos cohibeat, & dicat, res illa mobilis apud conſilium mihi deponatur dum inde ſim alenda, ne ſi perdatur non ſit, unde mihi victus ſuppeditet. Etenim mulier ſi cum viro

nominatim decidit, ut aleretur etiam de ejus re mobili, tamen hæredes ejus impedire non poteſt, quominus rem capiant.

XIII. Sic enim à cunctis decernitur conſiliis. Quod ſi fundum vir reliquit, eum quominus vendant ipſius hæredes ſcilicet obſtabit mulier: attamen ſi venditus à * viro fuerit, emptoribus non adimitur: uxor enim & puëllæ viri de bonis aluntur, ſiquidem bona ſunt libera.

* Hîc nonnihil editio in folio parvo differt ab altera.

XIV. Si quis reliquit uxores plures, quarum alia ſit ducta poſt aliam, nihilo ſecius in victu itidem, ut in re mobili, juri antecedendi nihil loci relinquitur.

XV. Quæ incidit in leviri poteſtatem vidua primos tres menſes de viri facultatibus alitur, quo ſi tempore percipitur uterus, etſi prægnans agnoſceretur jam tum, vir cùm emoreretur, porrò aletur dum pariat. Quæ ſi partum validum enixa fuerit, præterea itidem, uti reliquæ mulieres, aletur quamdiu vidua vixerit. Quæ eadem ſi tres poſt menſes non reperitur gravida; item ſi facit abortionem, neque de viri bonis, nec de leviri aletur: id verò levirum poſcat mulier, ut vel domum ducat, vel calceum ſibi ſinat exui.

XVI. Ut levirum popoſcit uti ſe aut domum deduceret, aut ad calceum exuendum admitteret, ſeu levir à conſilio aufugit, aut in morbum incidit, ſeu trans mare degit, mulier de bonis ejus nec ullo dato jurejurando alatur.

XVII. Quod ſi vidua in poteſtatem vene-

rit leviri natu minoris, omnino mulieri victus ab eo ſuppeditat nullus, dum adoleverit adeo, ut reliquorum ſit levirorum aſſimilis.

XVIII. Vir ſi moriens certum quendam fundum victui deſtinavit viduæ, atque ita dixit, erit in victum locus ille, victus ei conditionem fecit meliorem: ut ſi ejus fundi fructus ad idoneum mulieri victum non ſuppetant, reliquum ſumat de cæteris viri fortunis: ſi verò victum idoneum ſuperent, totum quantum eſt accipiat. Nam ſi viro ita dicente, hoc in loco erit pro viduæ victu, mulier obticuit, præter hujus loci fructus accipiet nihil, quippe cui vir alimentum præfiniverit.

XIX. Sunt qui ſentiant viduæ ſi de victu judices adeat, decernendum eſſe victum, ſacramentum dicendum non eſſe, quorum ſententia minus eſt idonea, qua commoveatur quiſquam. Longè enim diſcrepat iſthæc à muliere, cujus vir mare tranſmiſit. At verò illi, quibus ego operam dedi, magiſtri negant victum à conſilio decernendum eſſe prius, quàm ea jusjurandum dederit; quippe quæ petat, ut pupillorum ſibi pecunia dependatur: atqui de re pupillorum, niſi exacto jurejurando, nihil quidquam diſſolvitur. Equidem in hanc ego ſententiam propenſus ſum; & verò eſt, quod eam quiſque comprobet.

XX. Ergo ſi de victu conſilium adeat vidua, principio jurejurando adigitur: tum etiam ſine voce præconis bona venduntur, atque mulieri ad victum ſuppeditatur. Et mulieri quidem ipſi in victum ſine voce præconis bona

na

na vendere integrum est. Immo verò si quid per se sola suo pretio vendidit, ratum erit. Verùm hæredibus exigentibus jusjurandum dabit.

XXI. Jam de modo, vendetur unde mulier sex menses totos tolerari queat, non eo plus. Et quod venditur, ea conditione venditur, ut emptor viduæ suppeditet ad victum tricesimo quoque die: rursusque vendetur in sex menses alios: itáque deinceps vendiderit usque, dum de bonis universis id omnino supersit, quod ad dissolvendam donationem propter nuptias suppetat: tum de reliquo donationem propter nuptias accipiat, eat.

XXII. Viduæ cùm victus est à consilio decretus, tum etiam ab ea operæ ratio non redditur, nisi reposcant hæredes. Qui si quid operis inveniant, auferant: sin minus, eant. Ego verò sic existimo hæredes si minores sint, cum muliere rationem subducere consilium, & tanquam victum, item ei decernere laborem.

XXIII. Viduæ, si nullam proferat perscriptionem dotalem, òmnino nihil alimenti decernitur, quia donationem propter nuptias fortassis vendidit, condonavit, oppigneravit. Quod si non intendant hæredes, nosmet eorum nomine intendimus, jubemusque litteras afferat dotales, sacramentum dicat, & victum accipiat: nisi forte litteras dotales perscribi mos ac consuetudo non ferat.

XXIV. Mulier si mare cum viro transmisit unà, tum redux suum vita virum excessisse

ait, vel communi omnium viduarum lege victum, si videtur, vel donationem propter nuptias accipiet. Eidem sibi nuntium à viro remissum referenti fides non est. Verumtamen de viri facultatibus aletur ad summam factæ sibi donationis propter nuptias, quoquo modo se res habebit. Nam si est, ut viro sit etiam conjuncta, ab hoc ei victus debetur: sin repudium, ut ipsa dicit, renuntiatum est, donatio illa propter nuptias ei quidem certè solvenda est, siquidem dotales litteras proferat. Quocirca ad summam donationis propter nuptias alatur, eat.

XXV. Si repudium mulieri renuntiatum est, atque ita renuntiatum est, ut ambigatur ritè sit amissa, necne; omnino de viri facultatibus jam emortui non aletur; neque enim dubiam ob rem quidquam ab hæredibus exigitur. Eidem à viro vivente victus erit præbendus, dum ritè missa fiat.

XXVI. Inops si vidua biennio, si triennio locuples non poposcit victum, remisit. Quæ si porrò victum repetat, præbetur illi quidem non in spatium hoc elapsum; sed in illud demum, quod à petitione cedet. Sin vel uno die citius eo victum petiit, neutiquam condonavit, & cùm exigat victum recipiet etiam in tempus id quod jam effluxerit.

XXVII. Vidua si victum exigat ab hæredibus, hi se dedisse dicant, illa se recepisse neget, hæredum erit quod intendunt confirmare, dum videlicet mulier innupta vivat, aut ipsa conceptum illud jusjurandum dabit,

victum recipiet. Rursus mulier ubi fuerit cum viro nupta, ejus erit causam probare, aut hæres conceptum illud jusjurandum dabit se victum præbuisse.

XXVIII. Omnino accessio donationis propter nuptias ab sorte ipsa differt nihil. Ergo vidua simul ut petiit, vendidit, remisit, oppigneravit ejus, quæ propter nuptias fiat, donationis accessionem & sortem, præterea victus ei præbendus non est. Quæ si accessionis partim petiit, partim reliquit, perinde sit habenda, quasi sortem ipsam ex parte repetisset, ex parte reliquisset. Denique si indistinctè vendidit concessit donationem propter nuptias, accessionem unà cum sorte vendidit, condonavit. Etenim ambæ uno & eodem nomine appellantur.

CAPUT UNDEVICESIMUM.

I. EST hoc dotalibus è conventis unum, ut pueris à matre veniat hæreditas cùm donationis illius propter nuptias, tum etiam dotis, si tamen hanc viro ex ratione rei perpetuæ mulier dedisset: iidem post etiam reliquam hæreditatem paternam ex æquo cum fratribus ex eodem patre natis partiantur.

II. Ponamus igitur exempli causa ductam esse alicui uxorem, cujus è donatione propter nuptias & dote mille denariorum summa fiat, eandem à filio ex se nato elatam esse: tum

huic eidem alteram esse ductam uxorem, cujus tam donationis, quàm dotis summa sit denariorum omnino ducentorum, quam itidem filius ex se natus extulerit: tum è vita quoque decesse virum, reliquisse denariorum millia duo, ejus è prima uxore filius ex hæreditate præcipiat mille denarios, & ducentos filius ejus ex uxore secunda, suæ quisque pro dote matris; deinde reliquum dividatur æqualiter, sic; ut ad uxoris primæ filium hæreditate perveniant denarij mille & quadringenti, & sexcenti ad filium alterius.

III. Hæc enim ita sunt, si præter donationes illas propter nuptias vir reliquit denarium unum, vel eo plus; ut relinquatur quod hæredes inter se partiantur æqualiter: sin autem præter donationes propter nuptias ne denarium quidem reliquisset, omnino omnia hæredibus æqualiter dispertientur. Nam si suæ quisque matris donationem propter nuptias accipiat, nec superet denarius qui dispertiatur hæredibus æqualiter, eveniat; ut hoc conventu dotali omnino tollatur æquatio hæreditatis inter liberos, quam tamen æquationem sancit divina Lex.

IV. Similiter cui uxores sint ductæ bene multæ seu alia post aliam, seu omnes simul unà, is si has extulerit, cùm habeat ex singulis pueros, modò res ejus familiaris vel uno denario superet omnes donationes propter nuptias, filiorum à sua cuique matre veniat hæreditas donationis propter nuptias, & reliquum partiatur æqualiter.

V. Jam pupilli ſi conſtituerunt ipſi ſe ad bona patria denarium additurum eò, ut à ſua cuique matre obveniat hæreditas donationis propter nuptias, non ſinuntur. Res à conſilio æſtimatur, quanti erat tum, cùm è vita pater excederet. Nam ſi poſt obitum ejus res augeatur, minuaturve ante, quàm ad partitionem faciendam accedant hæredes, tamen nihilominus æſtimatur ut erat tum, cùm morte occubuit.

VI. Etenim hic idem ſi præter omnes donationes propter nuptias reliquit denarium, aut plus eo, quanquam ab ipſo proferuntur tabulæ æris alieni, quod reſiduum illud æquat; nihilominus filiorum à ſua cuique matre veniet hæreditas donationis propter nuptias.

VII. Jam qui uxoribus jugatus duabus extulit earum alteram, ab altera elatus eſt, is ſi liberos ſuſcepit ex utraque, etiamſi præter duas donationes propter nuptias reliquit nihil, filiis tamen poſterioris hujus uxoris, ſi modò ea jusjurandum dederit prius, quàm diem ſuum obiit, primo hæreditas donationis propter nuptias à matre veniet: neque enim ad hos ex pacto dotali, ſed ex Lege pervenit materna donatio propter nuptias: tum deinde ex pacto dotali venit ſuperioris uxoris filiis à matre ſua hæreditas donationis propter nuptias: porrò ſi quid reliquum fuerit, id utrique inter ſe partiantur æqualiter. Nam ſi mulier iſta poſterior vitam cum morte mutet ante, quàm jusjurandum dedit, filiis ſuperioris primùm à matre hæreditas dona-

tionis propter nuptias veniat, tum quod ſuperabit dividuum quoque faciant.

VIII. Sin evenit, ut vir uxoribus jugatus duabus, quarum utraque puerum ei peperit, efferatur ab ambabus, tum mulieres diem ſuum obeant & ipſæ, modò jusjurandum ante dederint, ad utrumque puerorum à matre ſua hæreditas donationis propter nuptias pervenit non ex pacto hoc dotali, ſed ex Lege. Quare ſit præterea relictum aliquid rei, necne, minimè laboratur. Atque etiam hæredes ejus quæ fuit ducta prius, poſterioris hæredibus anteferuntur. Quæ ſi mulieres jusjurandum ante non dederint, omnia liberi inter ſe partiantur æqualiter, hæreditas maternæ donationis propter nuptias omnino nulla fuerit. Nam donatio propter nuptias viduæ mulieri ante, quàm juravit, nulla debetur.

IX. Quod ſi juraſſet ante mulierum una, altera non juraſſet, illius, quæ juraſſet, liberis primùm hæreditario jure materna donatio propter nuptias obveniret, tum reliquum cùm alterius etiam ex æquo partirentur. Mulieris igitur à viro elatæ filius à matre hæreditatem donationis propter nuptias capiat, non de bonis obligatis, ſed liberis itidem, ut hæredes reliqui.

X. Alterum eſt dotale conventum, ut puellæ poſt patrem mortuum de bonis illius alantur interea, dum deſpondentur, aut pubeſcunt. Nam puella pubes etiamſi pacta non eſt, contràve pacta, etſi necdum pubes, præterea non alitur. Et quæ de bonis extincti

patris alitur puella, ei ſi quid fortuitò inventum, ſi quid opera partum, proprium ipſius, non fratrum erit.

XI. Atqui puellæ de bonis extincti patris decernitur victus, veſtitus, & habitatio item, ut viduæ. Et in puellarum ſic, tanquam in viduæ victum & veſtitum ſine præcone bona vendantur. Hoc inter viduam ac filiam intereſt, quod viduæ quidem pro dignitate ſeu ipſius, ſeu viri; filiæ verò pro ſola neceſſitate decernitur: præterea autem jurejurando puellæ non adiguntur.

XII. Neque verò à matre perveniet hæreditas donationis propter nuptias ad filios, neque filiæ ex pacto aluntur, niſi perſcriptionem illam dotalem in medium proferant. Quæ ſi nulla extet, ibi omnino nihil his erit: quia enim mater donationem propter nuptias forte condonavit. Iiſdem rurſus ubi non eſt in more poſitum, ut dotales litteræ perſcribantur, omnia ex conventu tribuentur.

XIII. Si quis inſtante morte juſſit frangi dotalibus è pactis aliquod, aut de bonis ſuis puellas, aut viduam non ali, aut à matre hæreditatem donationis propter nuptias non pervenire ad filios, huic omnino mos non geritur. Nam ſi ſua dono dedit omnia, quoniam donatio ægrotantis, ut alio loco agetur, non à morte hominis demum parta eſt, ſimul una bonorum obligatio hac donatione, & pactis illis exiſtit. Quapropter cùm vidua, puellæque ejus alentur de bonis, tum ad filios hæreditas donationis propter nuptias per-

veniet à matre, quam vir extulit.

XIV. Et quæ renuit puella, ea ſit aliarum inſtar, ſuppeditet ei victus: fratriæ verò, uxoris inceſtæ ſecundariæ, mulieris pactæ, aut vi compreſſæ puellis ex hoc eodem pacto à mortuo quidem patre victus ſuppeditat nullus: his iiſdem item, ut cunctis pueris puelliſque, à vivente patre ſuppeditat.

XV. Si quis ſibi deſpondit puellam quæ aleretur à fratribus, hanc ille à ſponſalibus alat, oportet. Nempe iſti poſthac neque victum præbeant fratres, nec ſibi ipſa quærat, utpote quæ parva vel puella ætatem puberem necdum attigit. Ecquis igitur eſt, qui velit ſponſam ſuam cum ignominia & dedecore oſtiatim petere, quod ad vitam deſideratur?

XVI. Puella cum viro nupta ſi renuit, ſi miſſa fiat, ſi conjuge viduetur; immo ſi levirum opperiatur, cùm redeat ad patrem ante, quàm puberem ætatem attigit, ejus ſit alenda ſumptibus dum deſpondeatur, aut pubeſcat.

XVII. Itaque ſi homini mortuo & filij ſuperſtites fuerint, & filiæ, bonorum hæreditas omnis perveniat ad filios, qui ſorores ſuas alant uſque dum pubeſcant, aut deſpondeantur. Ita eſt enim ſi mortuus ille reliquit, unde filij alantur ſimul unà cum filiabus dum pubeſcant, quæ res ampla dicitur: ſin autem rem ea minorem reliquit, primùm ex ea eximitur quod ſuppetat ad alendas puellas uſque dum pubeſcant: tum deinde reliquum pueris

tribuitur. Qui si nihilo plus rei reliquerit, quam quod ad puellarum victum requiritur, ea re puellæ tolerentur dum pubescant, aut despondeantur; pueri verò ostiatim petant, quæ sint ad vitam necessaria.

XVIII. Sic enim res se habet si pater extinctus fundi quid reliquit: sin autem tantulum rei mobilis relictum est, quando ex auctoritate magistrorum modò puellæ de re mobili aluntur, utique hac re parva pueri æquè & puellæ tolerandi sunt. Ecquid enim est constitutum aliud, quàm ut rei mobilis æquatio fieret inter pueros atque puellas? Hæc enim fuit magistrorum sententia.

XIX. Quod si ab patre extincto rei magnæ relictus ager posthac viluit, nihilo secius hæredibus jam partus est. Et si fundi vilioris pretium postmodum augeatur, itidem pueris veniet hæreditas. Immo verò si nulla amplificatione pretij facta relictum agrum viliorem pueri præoccuparunt, vili pretio vendiderunt, venditio rata fuerit.

XX. Jam si pater extinctus rem amplam reliquit, etsi fuit in ære alieno, etsi cum uxore constituit se puellam ejus ex alio viro procreatam aliturum, neque debitum, neque victus hujus puellæ rem efficere minorem censetur. Itaque bonorum hæreditas omnis veniet pueris, qui iidem æs alienum solvent, & puellam ab uxore patris ortam alent ad statum diem, & sorores dum pubescant, aut despondeantur.

XXI. Si relicta est vidua simul & puella

ex hac eadem aut alia uxore nata, nec res ſuppetit ad alendas ambas, vidua ex re toleretur, puella victum petat oſtiatim. Similiter ego dico prius ali puellam, quàm puero hæreditatem donationis propter nuptias venire à matre, quam pater ſuus extulit. Et verò ſi puellarum victui poſthabeas jus hæreditarium à Lege ipſa conſtitutum, quanto magis conventum illud conſilij de perſcripta matri ſumma donationis propter nuptias?

XXII. Si quis autem puellas reliquit ſuperſtites partim majores, partim natu minores, puerum nullum, neutiquam ducendum eſt à majoribus ſuſtentatum iri minores dum pubeſcant; tum poſtea faciendum eſſe reliquæ hæreditatis partitionem æqualem: verùm omnia confeſtim omnes inter ſe partiuntur æqualiter.

CAPUT VICESIMUM.

I. SCiverunt Sapientes, ut ſuæ quiſque filiæ de re familiari impertiretur aliquid ad nuptias: id cultus appellatur. A quo igitur filia collocatur, nec quidquam eſt ad nuptias decretum, dabitur ad minimum ea veſtis, quæ, ut ſupra poſui, pauperrimæ cuique Iſraëlitarum mulieri tribuitur. Hoc eſt officium patris tenuis. Locupletem verò pro facultatibus ſuis filiæ tribuere convenit.

II. Quod ſi ſponſo pater edixit ſuam nihil prorſus habere filiam, ducendam eſſe nudam,

haud quidquam filiæ cultûs erit. Nec verò eſt, quod dicat ſponſus ſe illam ad ſe deductam veſtire: veſtiat etiam ad patrem oportet.

III. Si quis filiam reliquit ſuperſtitem, cognoſcendum erit extincti de animo. Nam quantum ipſe cunque decreverat filiæ ad cultum dare, tantumdem dabitur: Jam cognoſcetur de animo ejus ex ſodalibus, & conſuetudine conjunctis, ex iis, quæ geſſit, negotiis; atque etiam ex dignitate. Jam ſi vivus aliquam in matrimonium collocavit filiam, ex ea de voluntate illius judicatur. Quod ſi conſilium perſcrutari voluntatem mortui nequeat, decumam partem de bonis ejus filiæ pro cultu dederit.

IV. Si quis igitur filias ſupeſtites reliquit multas, primæ cuique nubenti dabitur de mortui bonis pars decuma: ſecundæ decuma eorum quæ reliquit ſuperior: ſequenti item decuma ejus, quod à proximè ſuperiori relictum eſt. Quod ſi omnes ſint ſimul unà nupturæ, prima omnium bonorum accipiat decumas: ſecunda decumas eorum quæ relicta ab priore ſunt: tertia item eorum decumas, quæ ſunt ab proximè ſuperiore relicta: itemque deinceps ſi filiæ fuerint decem: tum rurſus omnes inter ſe decumas partiuntur æqualiter, & ſi quid reliquum fuerit, fratribus obveniat.

V. Atque ad cultum hunc decuma bonorum non datur ex pacto dotali: Quocirca etiam ex inſtituto Sapientum cùm ſuperio-

rum, tum posteriorum, nisi de fundo, non datur: datur autem & de locatione fundi: fratres autem, si libeat, argentum pro fundi decuma dederint.

VI. Ad hanc igitur decumam quod attinet, filia mortui itidem, ut fratrum creditores, nullo dato jurejurando absolventur de fundo mediocriter bono. Qui si fratres extinguantur, & ab horum liberis absolvetur quidem puella; sed de prædiis quàm deterrimis, atque etiam interposito jurejurando: etenim de possessione pupillorum istæc absolvatur: atqui de pupillorum neminem absolvi possessionibus nisi deterrimis, & adactum jurejurando, tractatu de mutuis edisseretur.

VII. Jam si pueri fundum paternum oppignerarint, vendiderint, filia eb emptoribus cultum suum recuperabit sic, tanquam creditores, qua de re item tractatu de mutuis explicabitur.

VIII. Si quis filias natu majores collocavit, minores reliquit superstites, filium nullum, nequaquam minoribus cultus suus prius eximatur, quàm fiat bonorum partitio; sed simul omnia partiantur æqualiter.

IX. Si cui filiæ superstites fuerint duæ, & filius unus, atque filiarum prior bonorum decumam protinus occuparit, necdum ceperit altera, cùm diem suum obeat filius, atque bonorum hæreditas omnis filiabus omnino veniat, horum altera de bonis non eximat decumam, sed ex æquo cuncta partiatur cum superiore, cui & decuma sua ritè parta sit.

X. Si quis autem jamjam moriturus vetuit quidquam de possessionibus suis filiabus ad cultum dari, mos ei geritur: neque enim cultus iste filiabus ex pacto dotali debetur.

XI. Dictum est à nobis ante, si cui uxor superstes fuerit, simul & filia, viduæ, quàm filiæ victum esse potiorem. Quæ si filia nubat, nihilo magis partem decumam accipiat, propter alimentum viduæ. Nec si nupta cum viro filia decedat idonei cultus ejus hæreditas viro superstiti veniat, ea re; quia cunctæ possessiones viduæ sint oppigneratæ alimentis.

XII. Pupillam natu minorem si mater ipsius voluntate, fraterve viro conjunxit, simul & ei drachmas dedit centum, aut quinquaginta; tamen nihilominus adulta cultum exigat ab eis sibi debitum. Quocirca aut patris erit perscrutanda voluntas, aut possessionum tribuenda decuma: ita est enim, quanquam ante nuptias nec alebatur à fratribus, & in nuptiis nihil opponebat: neque enim opponendi vis cadit in parvam.

XIII. Quod si viro se conjunxit major, seu puella, seu pubes, nec poposcit cultum, amisit. Eadem si nubendo quid hac de re testetur, postea cultum suum exigat cùm libuerit. Et quæ puberem ætatem attigit, seu post, seu ante patris obitum, atque etiam ad patrem moretur, huic si fratres victum præbere desierint (victus enim præterea, quemadmodum posuimus, debetur nullus) ipsa conticuit, cultum non petiit, jacturam ejus fecit:

contrà ſi quid de eo ſignifiavit. Nam ſi nec pubes quidem ſuſtentari à fratribus deſita eſt, tum etſi de cultu cum fratribus nihil egit dum ab iis aleretur, tamen eum non perdidit. Eſt enim quod dicat, ego meum à fratribus cultum idcirco non petij, quia victum mihi miniſtrabant haud debitum, & cum viro conjucta non eram.

XIV. *Si quis filiæ ſuæ hanc illam pecuniæ ſummam, qua fundus ematur, in cultum tribui juſſit valens, aut æger: idem diem ſuum obiit, atque hoc argentum alicujus fidei commiſſum viro ſuo vult ad quem libuerit uſum dari filia, ſiquidem ea jam major eſt, & viro deducta domum, ei eſt in manu, ut fiat: ſin autem eſt viro pacta tantùm, de pecunia nihil aliud, quàm quod à patre mortuo mandatum, fiat. Sin eſt adhuc parva, etiamſi cum viro nupta, nihilo magis ei obtemperetur: ſedenim qui recepit ab ejus patre mandatum, idem hic efficiat.*

CAPUT UNUM ET VICESIMUM.

I. UXor quidquid inveniat fortuitò, quidquid manu efficiat, viri fuerit. Sed quid tandem operis viro faciat? id quod loci fert conſuetudo: hîc texet telam, hîc acu pinget, hîc nebit linum, hîc lanam. Ubi verò loci ſolent mulieres in his omnibus æquè laborare, ibi lanam modò ducere invita cogetur uxor. Nam lino os &

labra offenduntur : atqui proprium mulieris opus eſt nere, ut eſt in Lege: *Præterea ſingulæ mulieres corde ſapientes neverunt manibus.* Exod. 35. 25.

II. Quod ſi contenderit uxor, ut pluſquàm penſum faceret, & reſiduum viri quoque fuerit. Quamvis igitur divitiis abundet vir juxta, atque uxor; quamvis magna ſit uxori vis ancillarum, ipſa nihilo magis otioſa ab opere deſideat. Nimirum *otium hominem abducit ad nequitiam* : verùm enim totum diem in opere faciendo conſumere non cogitur : pro divitiarum abundantia minuetur labor.

III. Qui ſi vir uxorem impulit, ut voveret ſe nullum omnino opus facturam, continuò miſſam faciat oportet, numeretque donationem propter nuptias, propterea quod *deſidia animum impellit ad flagitium.* Jam ſuo quæque viro mulier vultus lavet, manus, & pedes, poculum miſceat, lectum ſternat, & ſtans aquam, vaſaque miniſtret, tollat, & horum ſimilia; non item ſocero, non item privigno.

IV. Hæc igitur officia mulier, quamvis ei multæ ſint ancillæ, viro præſtabit per ſe ipſa: & viro niſi uxor præſtabit nemo.

V. Ecce autem alia quæ viro præſtet uxor tum, cùm ſint inopes : in clibano coquere panem. (Nam Eſdras ſanxit panem ut mulier coqueret bene mane, ut præ manu ſit, qui detur egentibus :) condire pulmenta : veſtimenta lavare: quos pariat ex ſe nutrire libe-

ros : jumento pabulum apponere , non item tauro : molere, hoc eſt, ſedentem in piſtrino farinam cuſtodire, non per ſe molam verſare, aut agitare jumentum molarium eò, ut piſtrinum ne quid ceſſet. Atque ubi loci conſuetudo eſt, & ipſa dabit operam moletrinæ.

VI. Hæc videlicet inopum eſt conditio: mulier autem ſi viro ſecum ancillam adduxit, aut rei attulit ſatis ad ancillam comparandam: item ſi propria viri ſit ancilla, aut res ea, quæ ad ancillam emendam ſuppetat, neque molat uxor, nec coquat, nec veſtimenta lavet, nec jumento eſcam admoveat. Et quæ viro ſecum aut ancillas adduxit duas, aut rem portavit, quæ ad duo mancipia emenda ſuppeditet: itemque ſi viro ſint ancillæ duæ: ſi eſt, unde duas emat, haud uxor pulmenta condiat, liberos nutriat: erit autem nutrix ancilla.

VII. Omnis igitur mulier officia viro omnino quinque præſtare debet : nere: lavare vultus, manus, pedes : poculum miſcere : lectum ſternere, ſtando miniſtrare. Porrò autem ſex ſunt genera officiorum, quæ partim mulierum debent, partim non debent facere : molere : pulmenta condire; panem coquere : liberos nutrire : jumento pabulum apponere.

VIII. Atque officia debita viro præſtabit mulier etiam menſtrualis : de poculo autem miſcendo, ſternendo lecto, vultu, manibus & pedibus lavandis, metuendum eſt ne vir in

in eam incidat cogitationem, qua adducatur, ut cum uxore corpus misceat. Menstrualis igitur mulier lectum sternet absente viro: poculum enim miscebit; viro autem in manum, ut fere fit, non dabit: super solo, vase, mensa apponet, unde vir illud per se capiat.

IX. Mulier si vasa frangat domi opere faciendo, impune sit: quod quidem jus non est; sed decretum. Atque ni ita constituas, pax domi sit nunquam: mulier enim plerumque ab opere deterreatur, ex quo jurgium existat inter ipsam & virum.

X. Mulier si quid horum, quæ debet efficere, operum aspernetur, adhibitis etiam verberibus id facere coërceatur. Sin autem mulierem opus aliquod fugere vir dicat, ipsa neget, aut socia mulier ipsis adjungetur, aut vicinorum aliquis. Atque hac de re quid fieri possit judex viderit

II. Mulieri dum est partus sui nutrix minuatur labos, victus augeatur vino, atque eo rerum genere, quod maximè lacti conducit. Nam victus ei maximè accommodatus cùm decerneretur, si cibi plus etiam, aut genus aliud appeteret (est enim insana quædam appetitio tum mulieri visceribus inhærens) de suo sibi compararet quid & quantum liberet. Nec enim est, quod vir occurrat, mulier si sumat plus satis, aut esca vescatur mala, interiturum esse partum: quia enim proprij doloris ratio potior est.

XII. Mulier si pariat geminos, invita quidem nutrix ambobus non erit, sed eorum

alteri; alteri vir mercede nutricem conducet. Mulieri familiaris suæ filium simul cum suo nutrire volenti vir obstet, & impediat, ne cum suo nutriat & alium.

XIII. Mulier si voti sponsionem fecit non suo se partui fore nutricem, invita cogetur, ut nutriat tum puerum, tum puellam, donec menses exegerit vinginti quatuor: si partui suo nutrix esse velit mulier, vir nolit uxorem suam esse nutricem ideo, ut ne sordescat; mulieri mos sit gerendus, ut etiam ancillæ ei fuerint bene multæ. Habet enim magnum dolorem, separari ab suo partu mulierem.

XIV. Mulier per se ipsa si sit inops, quæ quidem partui suo nutrix esse debet, & vir opulentus, cujus uxorem non convenit esse nutricem, quamvis nulla sit ancilla mulieri, siquidem nutrix esse nolit, vir aut nutricem conducat, aut ancillam emat, quæ nutriat. Nam per virum dignitas uxoris ut non minuitur, sic contrà per eundem augetur.

XV. Uxor si ait virum suum eum esse quem conveniat conducere aut emere ancillam, ipse neget; uxoris est probare quod intendit, nec est jurijurando locus.

XVI. Cui repudium est renuntiatum mulieri, ea nutrix esse partus sui non cogitur. Nam si est, ut nutrix esse velit, à viro dabitur ei merces: sin autem ipsa partum nutrire non vult, patri reddet, qui curam ejus sustineat. Sic enim res se habet, siquidem partum non lactavit adeo, ut jam ipsam nosset: ubi verò novit, deinceps à matre sua non sepa-

rabitur, non, si cæcus sit: non est enim periclitanda partûs salus. Cogetur igitur mulier nutrire partum ad exactos menses viginti quatuor.

XVII. Jam cui nuntius est remissus mulieri, post hac, cùm sit filij sui nutrix, à viro tamen alimentum debetur nullum: verùm præter mercedem huic dederit quod puero est necessarium ad vestitum, ad escam & potionem, ad unctionem, & horum similia. Prægnanti verò si nuntium remiserit, vir nihil quidquam dederit. Atque mensibus exactis remotum à lacte puerum infantem si velit etiam retinere repudiata mater, nec ab ea separetur ante, quàm totos sex annos compleverit, & apud matrem moranti victum interea loci cogatur puero præbere pater. Postea verò est, quod dicat pater cum matre considenti victum præbere nolo. Puella verò à matre discedat nunquam, nedum sextum post annum.

XVIII. Itaque pater si fuerit is, quem deceat de re familiari indigentibus impertiri, ab eo vel invito exigatur id quod æquum sit, quo puella sustentetur apud matrem. Quin etiam si viro cum alio nupta mater sit, tamen nihilominus cum ea commoretur filia, cui nomine eleemosinæ victum præbeat pater dum vivat. Qui cùm diem suum obierit, filia de bonis ab eo relictis aletur etiam apud matrem ex pacto dotali. Quæ si mater liberos suos à lacte remotos secum habere nolit, neque pueros, neque puellas, licet eos aut patri

restituat, aut si jam patre sint orbi, civitati tradat, quæ habeat curam eorum.

CAPUT SECUND. ET VICESIMUM.

I. Omnino uxoris hæreditas ad virum pervenit ante omnes: jus autem hæreditarium venit simul ac è patris in viri potestatem & ditionem concessit uxor, ut nondum etiam fuerit deducta ad thalamum.

II. Ut si viro, virive procuratoribus pactam mulierem ejus pater ipse, aut procuratores à patre tradiderint, tum itinere faciendo diem suum obierit mulier ante, quàm esset deducta ad thalamum, cùm sit etiam dos ejus ad patrem, jure tamen hæreditario viro obveniat. Similiter cùm deducenda uxore vir mulieris patrem, patrisve procuratores habuerit itineris comites, atque uxorem in itinere domum in aliquam introduxerit, ubi esset nuptiarum nomine cum sola solus, tum mulier extincta sit, hæreditas ejus ad virum perveniat. Nam si mulieris pater comes esset viro cùm uxorem duceret domum (eadem omnino est ratio si patris procuratores comitarentur virum, aut procuratores ejus:) atque in diversorio cum ea sic, uti viatores solent, pernoctaret; quoniam mulieri & pater, vel ejus procuratores essent etiam adjuncti comites, necdum vir fuisset nuptiarum nomine cum sola solus, ejus morte si dos jam esset ad virum translata, tamen ad patrem lege redeat.

III. Jam ſi virgo pubes, orba, vidua per ſe ipſa diſcedat à patre ad virum, quem nec ipſum itineris ſocium habeat, neque ejus procuratorem, atque itinere faciendo morte occumbat, hæreditas ejus viro non veniat.

IV. Qui uxorem duxerit ſibi interdictam, huic, cùm ſit poteſtas mulieris ejus dicandæ, mortuæ hæreditas utique veniat. Et qui duxit uxorem natu minorem, cùm ejus ſinr infirmæ nuptiæ, tamen & huic uxoris à ſe funere elatæ veniat hæreditas. Homo ſanus ſi ſurdam duxerit uxorem, non ad eum mulieris emortuæ hæreditas perveniat: rurſuſque ſurdus ſi ſanam duxit uxorem, illi veniat mortuæ uxoris hæreditas. Nam mulier animi compos, quoniam ſua ſponte & voluntate viro nupſit iſti, ſimul habendæ rei familiaris ſuæ jus tribuit.

V. Virgo ſi natu minor ſit viro dicata ſciente & volente patre, atque eodem inſciente nupta, pater ſeu præſens, ſeu abſens fuerit tum, cùm nuptiæ fierent, infectas, irritaſque reddiderit, quemadmodum ſupra diſſeruimus. Nec verò ſi de nuptiis factis ſiluit pater, morte mulieris hæreditas ad virum perveniat. Etenim pater nuptias filiæ velit, oportet.

VI. Ægrotantem mulierem, cùm petat à viro, ut nuntio remiſſo ſine donatione propter nuptias diſcedat, eo videlicet conſilio, ut ſi mortem occumbat hæreditas ejus viro ne veniat, magiſtri decreverunt non audiendam eſſe, ne ſi dicat quidem, ego virum odio

habeo, confidere cum eo nolo, nec de ea sic, tanquam de contumaci muliere statuendum: quod judicium sanè quàm præclarum est.

VII. Omnium, quas habet mulier, possessionum, seu certarum & stabilium, seu caducarum atque fragilium fructus omnis, dum mulier in vita manet, viro percipiuntur: quarum earundem, simul ut mulier decedat, omnis hæreditas viro veniat. Itaque mulier cum viro nupta si possessiones vendiderit caducas etiam eas, quæ ante quàm desponderetur, obvenissent, quamdiu illi vita supetet, tamdiu vir harum possessionum fructus ab emptoribus auferet: non ita fundos. Nimirum in possessionum caducarum solum ipsum vir, dum mulier vivat, omnino jus habet nullum. Nam si mulierem vir efferat, idem ab emptoribus fundos quoque auferat, ne pretio quidem emptionis restituto. Quod si eædem ipsæ, quæ fuerunt ab emptoribus repræsentatæ, pecuniæ restent etiam, reddantur emptoribus oportet. Nec est, quod vir dicat, forte fortuna mulier eas reperit.

VIII. Sic enim statuitur de mulieris possessionibus, quæ sunt viro cognitæ: mulier autem si possessiones & in regione longinqua sitas, viroque ignotas vendiderit, venditio firma, rata sit. Et sponsa si possessionem ante nuptias vendiderit, venditio rata fuerit: nec enim quidquam juris habeas in possessiones sponsæ, donec ipsam domum deduxeris.

IX. Mulier si prius quàm viro nuberet sua alicui aut propinquo, aut alieno universa bo-

na ſcripto dediſſet, etſi donatio, ſicut tractatu de donis explicabitur, infecta ſit ubi miſſa fiat, aut vidua mulier: tamen nec viro percipiantur bonorum fructus, neque hæreditas veniat tum, cùm ab ipſo ſit uxor funere elata, ob hanc ipſam cauſam, quia ante, quàm ei nuberet, mulier bona ſua dono dederat. Sedenim cùm uxorem vir extulerit, tum denique donato quæ data fuerant rite parta ſint: neque hoc tantum, ſed etiam mulier ſi nuptias ante ſuas aut univerſa bona, aut partem eorum aliquam cuipiam dediſſet ſcripto, in quo donato ita diceret, ab hoc die mea tibi res ſit parta cùm ego velim, ubi quidem certè donatio firma non eſt, donicum mulier velit; tamen neque rei donatæ fructus viro capiantur dum vivat mulier, nec morte ejus veniat hæreditas.

X. Quidquid boni obtigit mulieri levirum manenti, hoc illa vendat, dono det. Nec levir uſque, dum domum deduxerit fratriam, capiat poſſeſſionum fructum, ne fixarum quidem & ſtabilium, quas illa fratri demortuo apportaverat. Nam fratriam levirum manentem ſi vita deficiat, paternis hæredibus ejus caducę poſſeſſiones jure hæreditario obveniant, & hæredibus extincti viri cùm mulieris donatio propter nuptias, tum dimidia pars poſſeſſionum ſtabilium. Atque hæredes viri ſepultura mulierem afficere jus eſt.

XI. Jam mortui viri omnia omnino bona opperienti levirum mulieri pro donatione propter nuptias oppignerantur. Itaque levir nec

ante, nec poſtquam deduxit domum fratriam quidquam ex fratris extincti poſſeſſionibus vendiderit. Qui ſi poſſeſſiones ejus aut vendidit, aut dono dedit, aut cum cæteris fratribus partitus ſit, nihil horum ratum fuerit, quia poſſeſſiones illæ prorſus oppoſitæ ſunt pignori viduæ mulieri, cui quidem inde diſſolvenda eſt donatio propter nuptias.

XII. Cùm fratriam duxit domum levir, cujus frater mortuus fructus quoſdam radicibus hærentes reliquit, his ille fundum emet, ex quo fructus percipiat.

XIII. Idem rurſus frater extinctus ſi fructus evulſos reliquit, ſi pecuniam, ſi quamvis rem mobilem, tota pertinet ad levirum. Nec verò mulier ipſum impediat, quominus his ad arbitrium abutatur eò, quòd de re quidem mobili donatio propter nuptias mulieri non perſolvitur niſi ex decreto magiſtrorum. Non eſt autem hujus decreti ea vis, ut levirum iſtiuſmodi re fraterna excludat, & obſtet, quominus hac ipſe utatur ad contrahenda negotia.

XIV. Quod ſi non donata propter nuptias fratria fuerit, ſi donationem remiſerit, poſſeſſiones leviro ita adquiruntur, eas ut divendere ad arbitrium ſuum, & donare queat: & cùm fratriam ſuam domum deducet, perſcribet ei nummos denarios centum pro donatione, cui donationi pignori opponentur omnino leviri poſſeſſiones omnes, ſic, ut cunctis cum mulieribus donationem propter nuptias habentibus agitur.

XV. Mulier ſi viro, vel alieno aliquam harum poſſeſſionum ſtabilium aut vendidit, aut dono dedit, infectum, irritumque ſit: & vir ſi de bonis uxoris cùm ſtabilibus, tum caducis fundum vendidit, nihil actum habetur.

XVI. De re autem mobili bonorum etiam ſtabilium, eam etiamſi vir vendiderit citra poteſtatem, rata tamen eſt venditio. Nam caducis de facultatibus ſi quid ſimul vendiderint ambo, ratum erit: nec verò quidquam refert, utrùm à viro id prius, quàm ab uxore coëmptum fuerit, an ſecus.

XVII. Similiter mulier ſi bona caduca viro vendidit ipſi, donoque dedit, cùm venditio, tum etiam donatio firma ſit: nec eſt quod dicat mulier, ego nihil aliud volui, quàm viri animum permulcere. Eſt autem, quod dicat in altero bonorum genere.

XVIII. Mulier ergo ſi aut ex illo genere bonorum ſtabili ſeu vendidit viro, ſeu donavit fundum, vel res mobiles, vel quem ſibi vir agrum pro pignore donationis propter nuptias tradiderat, vel qui donationi ſuæ æſtimatione habita addictus à viro erat * ***Vel qui erat ſibi alio pro agro ſuo à viro ſubſtitutus***, id neutiquam viri proprium erit. Etenim uxor ſi quid ultro viro vendidit, tamen quo tempore cunque libeat, id recuperabit: ſic enim exiſtimandum eſt, ab uxore viro, niſi ad pacem inter ſe concilandam, donari, vendi nihil. Quapropter viro ſic, ut ante diximus, in uxoris bona alia, quàm caduca, omnino nulla eſt actio.

* Quod de poſtremo agri genere dicitur, hoc deſideratur apud exemplar in parvo folio editum 1574.

XIX. Mulier si quid ex bonis illis perpetuis amissum aut subreptum viro condonavit, & hic idem mulierem stipulatione alligavit, hîc, ut mihi quidem videtur, non est, quod dicat, ego viri animum mitigari volui. Quid enim? Quid differt hoc ab illo, si cum uxore vir transigat, ut res sua ipsi ne obligetur? Si mulier bonorum genus illud perpetuum reddat caducum? Neque enim id nunc vir agit, ut sibi liceat ab uxore quid auferre, aut possessiones ejus habere; verùm ut à repetitæ rei solutione liberetur. Nam ex eodem bonorum genere perpetuo si quid etiam mobile quod adhuc existat viro donavit uxor, infecta dona sunto: est enim, quod dicat, virum ego volui placatum effici.

XX. Vir si ejus, quod uxoris est, prædij vendidit usum & fructum, nihil actum habetur: neque enim viro bonorum ad uxorem pertinentium usus & fructus decernitur alia de causa, nisi ut sit sumptuum domi faciendorum compendium. Quare si usum fructum vendidisset eò, ut argento inde comparato ad mercaturam faciendam uteretur, omnino mos illi gereretur.

XXI. Pecuniam mulieris vir implicaverit: nempe eam, quæ sit bonorum ex genere perpetuo: nam pecuniæ illæ caducæ quæ vocantur, seu viro portarentur ab uxore tunc ipsum cùm duceretur, seu jure hæreditario obvenirent mulieri jam nuptæ, seu dono datæ essent, his fundum emi convenit, unde vir fructum percipiat. Atque eadem est ratio rei

mobilis, quæ mulieri post nuptias aut hæreditate venisset, aut fuisset dono data.

XXII. Similiter homines alieni si mulieri cum viro nuptæ plagam inflixissent, quod ab his ei multæ nomine dependeretur argenti, eo mercaretur agrum, ex quo vir fructus caperet. Sed hac de re tractatu de plagis.

XXIII. Mulieri si jure hæreditario obvenirent servi, quamvis senes, non venibunt; quippe qui laudi sunt paternæ ejus familiæ. Sin obvenerint vineæ, olivæ, nihil autem quidquam agri his obsiti, eandem ob caussam, quia honori sunt paternæ ejus familiæ, non vendentur, si modò sit operæpretium eas colere: sin minus, lignorum pretio oportebit ut emat agrum, ex quo fructum vir percipiat.

XXIV. Mulieri si veniant hæreditate fructus radicibus etiam hærentes, viri sunt: sin autem fuerint jam evulsi, vendantur; tum eorum pretio comparetur ager, à quo fructum vir capiat. Nam si tunc ipsum cùm vir nuntium remittat uxori, eidem fructus existant radicibus adhuc hærentes, ad uxorem pertinent: ad virum verò, si jam evulsi fuerint.

XXV. Servis uxoris & bestiis, siquidem è genere bonorum caduco sunt, victum & cultum vir præbeat necesse est: & hi viro opus faciant: porrò capiat vir fructum ex ipsis. Itaque partus ancillæ, quæ sit è caduco bonorum genere, viri est: itemque fœtus bestiæ, quæ sit eodem è bonorum genere,

Etsi uxor, cùm evenit discessio, partum velit ancillæ pretio redimere, quoniam id paternæ ejus familiæ honori sit, gerendus est illi mos.

XXVI. Jam si vir ab uxore, cùm duceretur, accepisset sub ratione boni perpetui aut vasa, aut mancipia duo, quæ addicerentur ei drachmis omnino mille, tum pretium eorum augeretur ad summam duorum millium drachmarum, atque cum uxore vir divortium faceret, ea mancipiorum aut vasorum alterum pro mille drachmis recipiat: alterum si velit pretio redimere, quia familiæ ejus paternæ laudi sit, mos ei geratur,

XXVII. Vir si donasset uxori seu agrum, seu argentum, quo agrum mercaretur ipsa, is ex hoc quidem dono fructus caperet nullos. Et extraneus si quid mulieri dono daret ea lege, ut fructus ex eo caperet non vir; sed mulier, atque his suum ad arbitrium uteretur, nullos omnino vir ex eo dono fructus perciperet. Si mulier suam donationem propter nuptias cuipiam pretio venderet, ista quidem pecunia mulieris esset, nec vir perciperet ex ea fructus.

XXVIII. Qui subripuit pullum pecoris ejus, quod esset perpetuo bonorum è genere, eum oportet in duplum ire: hoc igitur mulieri manet: neque enim hic est, quem Sapientes viro decernunt, fructus. Et si quis suæ vulnus impegit uxori, quidquid argenti pro damno dato, pro dolore, pro dedecore dependendum est, item mulieri maneat, nec

fructum quidem ex eo vir ullum percipiat.

XXIX. De agro quem vir uxori vendiderit, siquidem illæ viro perspectæ atque exploratæ fuerant pecuniæ, quibus emeretur ager, mulieri bene comparatus est, vir ex eo fructum capiat. Sin autem de pecunia ista vir celatus esset, emptio irrita sit. Est enim, quod vir dicat, ego nullam aliam ob causam agrum ei vendidi, nisi ut indicaret mihi pecuniam, quam me celatum voluit. Itaque pecunia hac comperta fundus emetur, ex quo vir fructum percipiat.

XXX. Mulier si dicat dono sibi datam esse quam habeat pecuniam, remque mobilem: vir autem opere quæsitam, atque adeo ad se pertinere, fides sit habenda mulieri. Atenim hoc est viro in manu, ut diras obnuntiet ei, qui contrà, quàm quod res est, intendit: tum deinde ager ea re emetur, ex quo agro fructum vir capiat: sin mulier ita dicat, data mihi res est ea lege, ne quidquam potestatis in eam vir haberet, sed eam ego meum ad arbitrium tractarem, dictum ipsa confirmet, necesse est. Nam quid rei cunque apud mulierem invenitur, in viri est potestate eatenus, ut fructus ex eo omnes capiat, donec potestatem eam mulier rationibus infirmet.

XXXI. Sin viro dicat mulier, tute mihi id donasti, conceptum illud jusjurandum dabit id sibi donatum à viro, qui prorsus nullos ex eo fructus capiet.

XXXII. Nemo sinat apud se deponi quid-

quam à muliere, à servo, à natu minori: Quod si quis perperam mulieri permisisset, ut apud se deponeret aliquid, eidem ipsi reddat depositum, oportet: Ea si è vivis excessit, viro: si quis sineret aliquid à servo apud se deponi, reddat depositum servo: aut ejus hero, siquidem servus mortem oppetiit. Si quis sivit, ut apud se quid deponeret natu minor, aut rei pretio ematur ei * volumen illud Legis, aut ejusmodi quid, ex quo fructum percipiat. Qui quidem singuli si morientes dicant, depositum hoc hujus illius est, atque hic qui depositum tenet existimat idoneos esse, quibus credatur, fiat quod jusserunt: sin fide minus digni videantur, depositum horum hæredibus reddatur.

* Ex quo videlicet divina oracula populo prælegi in synagogis solent: nam id passim liber Legis nuncupatur: Pentateuchus autem Judæis dicitur lex Moysis typis excusa.

XXXIII. Mulier cùm pecuniam habeat eam, ex qua conveniat virum percipere fructum, & eidem ista pecunia emi aliud, aliud viro placeat, efficiendum erit, ut comparetur id, quod fructûs ferat multum, sumptus parum requirat: neque quidquam refert, utrum viri an mulieris ex sententia fiat: jam id solum comparabitur, ex quo novum usque proventum existat; cavendum est enim ne vir rem totam consumat, atque pereat ipsa sors.

XXXIV. Mulier si viro capram attulit, ex qua lac traheret, ovem, cujus vellera tonderet, palmam ex qua dactylos decerperet, etiamsi rerum istarum fructus soli ad mulierem pertinent, nihilominus vir eos caperet dum res ipsas conficeret. Eadem si pro bono caduco viro portavit utensile, eo quidem ad vesti-

tum, ad ſtratum, ad operimentum abutetur uſque, donec res tota conficiatur. Qui ſi nuntium uxori remittat, eum trita rerum caducarum perſolvere jus non eſt.

XXXV. Et perpetuis illis è rebus, quæ viro imminuuntur, ſi quod inſtrumentum reſtaret quamvis tritum, dummodo ſuum ad opus etiam eſſet idoneum, magiſtri illi voluerunt à muliere ſic, uti eſt, recipi: ſi porrò nihil ad opus ſuum valeret, perinde eſſe, ut ſi ſubreptum aut perditum ſit, atque adeo à viro diſſolvi, quo ipſi pretio tum eſſet addictum, cùm uxorem duceret. Atqui hæc conſuetudo pervagata eſt: & quicunque ex hac conſuetudine uxorem ducit, de dote infecti damni promittit. Ut verò vir rei diminutionem explere non debet, ſic nec amplificationem, ſi forte pretium augeſcat, demere. Porrò ex hac conſuetudine viro eſt in manu, ut cogat ex uxoris ſervis & ancillis aliquot ſibi ſervire, etiam in alterius, quam duxit, uxoris domo. Neque enim quidquam intereſt, utrum illa mancipia res caduca, an perpetua fuerint. Eadem mancipia in aliam urbem invita uxore deportare, id verò marito non licet.

CAPUT TERTIUM ET VICESIMUM.

I. MUlier ſi cum viro conditionem inſtituiſſet eam, ut earum, quæ viro debentur ab uxore, rerum remitteret aliquam,

idque ſponſæ vir ante nuptias perſcripſiſſet, nihil eſt quod porrò ſtipulatione alligetur; quod perſcripſit, ratum eſt: idem hoc ſi poſt nuptias demum uxori perſcripſit, ſtipulatione alligetur etiam, neceſſe eſt.

II. Quæ mulier cum viro conditionem inſtituit eam, ut ſuarum poſſeſſionum cauſa nihil ad illum pertineret, hæc ſi quid poſtea vendiderit, omnino venditio rata ſit: verùm dum poſſeſſiones ipſi manent, fructum ex his vir percipiat. Quæ ſi ſponſa adhuc cum viro tranſegit, nihil ut juris haberet in facultates ſuas, hic quidem certè de poſſeſſione tota deceſſit: quamobrem ex ea nihil unquam fructus percipiat, ne tum quidem, cùm de ſua illa conceſſione ita contenderit, non ille mihi fuit unquam tranſigendi animus, ut ne fructus quidem uxoris è poſſeſſionibus caperem; ſed ut ſi quid ipſa venderet, venditio rata foret: nam uxorem, niſi cum re, ducit nemo. Enimvero hic audiendus non eſt.

III. Vir ſi cum muliere conſtituiſſet ſe de poſſeſſionibus ejus fructus nullos eſſe percepturum, hic fructus ipſarum quidem non abſumet; ſed his poſſeſſio comparabitur, cujus fructus denique percipiet; quippe qui de poſſeſſionum illarum fructibus ſolum deceſſerat.

IV. Nam ſi cum muliere vir conſtituiſſet ſe nec quidquam fructus è poſſeſſionibus ejus capturum, neque porrò ex harum fructibus, tum poſſeſſionum fructibus ager emetur,

tur, cujus agri fructibus & alter ſit emendus ager, ex quo denique vir fructus capiat, qui quidem exiſtent ex fructuum fructibus. Sic, ſic eſt enim uſque dum vir paciſcatur ſe neque poſſeſſionum, neque harum fructuum fructus unquam eſſe capturum: tum videlicet vir è poſſeſſionibus mulieris, quamdiu ea in vita manet, fructus omnino capiat nullos: eidem emortuæ mulieris hæreditas, quanta quanta erit, tota veniat.

V. Quod ſi cum muliere vir conſtituiſſet ſe illius hæreditatem non aditurum, omnino hic ex ejus hæreditate nihil capiet: capiet autem bonorum fructus quoad mulier vivat. Eodem modo ſi cum muliere vir conſtituiſſet ſe ejus hæredem ex parte duntaxat eſſe futurum; ſi pepigiſſet, ut, ſi mulier nec ullis ex ſe procreatis liberis moreretur, bona ejus ad paternam familiam redirent, ratum erit.

VI. Sic eſt enim ſi vir cum uxore necdum domum ducta conſtituit ſe hæreditatem ejus non aditurum: ſcilicet hoc cuilibet conceſſum eſt, ut familiæ non ſuæ, ſed alienæ hæreditatem necdum ad ſe pertinentem conſtituat ſe omnino nunquam aditurum: ſin autem poſt factas nuptias demum ita cum uxore pactus eſt, pactio ſit irrita, adeoque mulieris item, ut ſupra diſſerui, ad eum veniet hæreditas.

VII. Jam ſi poſt nuptias denique pacto conveniſſet, nihil ut juris poteſtatiſque vir haberet nec in uxoris poſſeſſiones, neque in harum fructus, neque porrò in fructuum fructus ad infinitum, idque nec viva, nec

M

mortua muliere : omnino hic de possessionibus uxoris fructus capiet nullos; attamen idem si efferat uxorem hæreditatem ejus sic, ut ante * disserui, accipiet.

* Apud exemplar in folio magno editum 1524. mendosum est hoc verbum.

VIII. Vir si in uxoris possessiones illas caducas impensas egit, videndum non erit, utrum plus fecerit sumptus, quàm fructus ceperit, an secus. Nam ex his si caricam vel unam comedit via & ratione liberali, aut ratione minus ingenua comedit id, quod esset denarij : immo etiam si de fructibus nihil aliud, quàm sarmentorum omnino fasciculum unum cepit, nihilo plus, quàm quod cepit, pro sumptibus feret.

IX. Similiter si * pecuniæ mulieri obtigissent in loco adeo longinquo, atque maritus ejus multos fecisset sumptus, uti has aut deportaret, aut è manu tenentis extorqueret, tum his agrum mercaretur, unde fructus percepisset ad dictum paulò ante modum, nihil aliud, quàm quod cepisset, pro sumptibus ferret. Idem si nihil omnino fructus inde cepisset, aut cepisset intra modum, habita æstimatione compendij rogandus erit quid sumptus fecerit: si est, ut impensas superet emolumentum, per apprehensum volumen illud Legis quàm maximè desiderabilis jurabit in summam impendij, quod inde demet: sin autem emolumentum excedit sumptus, nihil quidquam nisi summam emolumenti pro sumptibus feret, nec hoc quidem nisi dato illo, quod ante diximus, jurejurando.

*Hoc loco variæ sunt lectiones. In folio magno legere est, *possessiones*: in parvo autem, *pecunias*, secutus sum posterius.

X. Sic est enim si nuntium mulieri vir re-

mittat. Nam viro cùm mulier adverſerur, quamvis multos ille fructus cepiſſet, habita æſtimatione fructuum ſumma fiet, & deducetur ex eo, quod ob factos ſumptus illi rependendum erit. Nimirum dato illo jurejurando repræſentantur huic impenſæ, quas neutiquam mulieri voluit adquiſitas eò, ut has ea ſponte ſua diſcedens abriperet. Et qui ſumptus fecit in poſſeſſiones uxoris adhuc parvæ, eundem ſi mulier adulta renuat, videndum erit quid fructus ceperit, quid fecerit ſumptus, quid compendij. Hic enim habetur itidem, ut olitor qui pro parte fructuum colendum ſuſcepit hortum; quippe qui data facultate ad tractationem iſtius rei deſcendit.

XI. Conſuetudo dotis eſt multiplex & varia: in quibuſdam locis dos ſolet in inſtrumento nuptiali perſcribi ſic, ut tertia, aut quinta, aut dimidia parte augeatur: ut ſi denarij dotis ſint omnino centum, mulier ad augendam rem in vulgus ſcribatur ad virum detuliſſe denarios dotales centum & quinquaginta, eidemque poſtmodum dotem exigenti nihilo plus denariis centum diſſolvatur: in aliis contrà dos ſcripto extenuatur: ſi viro doti dixerit mulier vaſa denariis centum valentia, oportet illi det ea quæ ſint denariorum centum & viginti, neque tamen plus centum denariis perſcribitur in litteris nuptialibus: in aliis autem quantum rei cunque doti datur, tantundem ſolet adſcribi: porrò in aliis conſuetudo eſt, ut pro dote dicta ſponſus in ornatum argenti certum quiddam tribuat ſpon-

ſæ, quo ſibi compareт odores, & horum ſimilia: porrò in aliis & ſponſus quoque de ſuo ſolet ſponſæ quid afferre, quo doti conjuncto ambo unà fruantur.

XII. Qui duxit uxorem nec ullam fecit de re ſua mentionem, ab eo mulieri pecuniam pro conſuetudine regionis perſcribi ac * perſolvi oportet. Et mulierem quæ cum viro conſtituit ſe dotem ad ipſum eſſe delaturam, ex regionis conſuetudine dare convenit: cui dotem exigenti id quod in litteris nuptialibus perſcriptum erit ſolvetur item ex regionis conſuetudine: ſi tamen hæc eadem conſuetudo ſit in omnem regionem pervagata.

* Eſt hîc parvum mendum apud exemplar in folio magno 1524. conſulatur alterum in folio parvo 1574.

XIII. Sponſus & ſponſa ſi ipſi inter ſe ſic egerint, tu mihi hoc aut illud deferes, & tu hoc illud mihi dabis, vel hoc illud mihi perſcribes: item ſi parentes ita paciſcantur pro liberis, tu hoc illud filio tuo, & tu hoc illud filiæ tuæ dabis, continuòque fiat dicatio, his etſi nihil inter ſe tranſegerunt, tamen recte adquiſita ſunt ea, quæ dicta fuerant. Nimirum hæc illa ſunt, quæ dicto adquiruntur.

XIV. Sic ſe res habet ſi filiæ pater ſeu natu minori, ſeu majori, & ex altera parte pater itidem filio pactus ſit aliquid in nuptias videlicet primas: quia enim pater inclinatione voluntatis eſt propenſus in filium, cujus primis nuptiis lætatur adeo, ut illi quidquid ſpopondit vel dicto prorſus adquiſitum eſſe ex animo velit. Nam frater ſi quid ſorori promiſit, mater ſi filiæ, idem eſt judicandum de

propinquis cæteris : immo & pater si filio vel filiæ quid promisit in nuptias secundas, nisi pollicentem se hoc illud datum ire stipulatione alligarint, nihil quidquam adquisitum erit.

XV. Jam quod in nuptias à patre promissum est filiæ, donec ea fuerit à viro deducta domum, nihil adquisitum erit; neque filio donec sponsam duxerit domum. Etenim quisquis in matrimonium promittit aliquid, ea lege promittit, si domum ducatur uxor. Si quis igitur argentum suo pollicitus sit genero, tum hic idem diem suum obierit ante, quàm domum duxisset uxorem, eaque ducenda sit fratri superioris ex lege illa levirum tenente, sponsæ pater leviro dixerit isti, equidem fratri tuo hoc argentum dare volui, tibi non item. Nec verò quidquam facit ad causam si superior ille rudis & hebes, posterior fuerit litteratus; ut etiam hunc puella expetat.

XVI. Sponsæ pater si genero quid argenti pactus fuit, atque in terram abiit aliam, hoc sponsa habet dicere sponso, egomet ipsa tibi de me recepi nihil, quid vis faciam, vel indotatam me ducas domum, vel missam facias. Nam sponsa si quod sponso promisit ipsa præstare nequeat, eam oportet domi sedere interea, dum invenit id, quod sponso pacta fuerat, aut dum mortem occumbit : neque enim istam vinculo jugali solvat contumacia : quia sponsa contumax ea demum est, quæ verò volentem se domum ducere sponsum aspernatur : hanc autem, nisi quod promisit

exolvat, rejicit ſponſus, cùm ſponſum ipſa velit, ſiquidem ita prædicat, tu domum me duc, aut me miſſam fac. Sic enim agitur cum ſponſa majori : atenim natu minor ſi quid ſponſo de ſe ipſa recepit, eam aut indotatam ducere, aut miſſam facere ſponſus cogatur.

XVII. Si quis uxorem duxit ea conditione, ut hujus filiam ex alio viro natam hoc illo annorum numero aleret, eum totidem annos, quot in ſe recepit, puellam alere jus eſt. Sic eſt enim, ſi conditio jam tum inſtitueretur, cùm fieret dicatio : aliàs omnino nulla erit, niſi aut ſtipulatione virum alligarit, aut conditio in inſtrumento perſcribatur, aut quid horum ſimile denique fiat ſic, ut tractatu de emptione & venditione diſputabitur. Jam ſi vir intra præfinitum de nutrienda puella temporis ſpatium repudium mulieri renuntiet, ea nubat alteri, quicum item paciſcatur, ut ſuam hanc eandem filiam hoc illo nutriat annorum ſpatio ; neque ſuperior ille dixerit, ego puellam ſi veniat ad me nutriam ; verùm deferat alimentum ejus ad matrem : neque porrò dicant ambo, nos eam pariter alemus ; ſed enim eorum alter puellæ ſubminiſtrabit alimentum, alter pro alimento pretium dabit.

XVIII. Jam ſi puella collocatur in matrimonium intra conſtitutum illud tempus, ſuus illi vir alimentum præbeat oportet : horum autem duorum vitricorum quiſque pretium pro alimento ſolvat. Cùm verò diem ſuum obierunt hi duo qui privignæ ſpoponderunt

se se alimentum præbituros esse, si stipulatione, si litteris obstricti tenerentur, privigna itidem, ut qui pecuniam per singrapham credidissent, de bonis etiam obligatis victum suum ad præfinitum tempus abriperet. Nam si uxore dicanda victum privignæ spoponderint quidem; atenim stipulatione alligati non sint, hoc scilicet negotium litteris consignatum esse nolebant, adeoque privigna suum in alimentum abriperet nihil.

CAPUT QUARTUM ET VICESIMUM.

I. QUi uxorem duxit sterilem, si nec ullos liberos habet, * neque uxorem aliam, cui det operam ad propagandam generis stirpem, conjugem missam facere cogatur, quæ conjux conditione sit eadem, atque cunctæ mulieres: nempe cùm donatio illa propter nuptias, cæteraque pacta dotalia mulieri rectè sunt adquisita, tum viro hæc eadem quæ & ab alia quavis conjuge.

* Hîc in exemplari in folio magno mendum est: est enim pronomen pro negatione positum.

II. Nam si non nimis cognita ducta fuit uxor, tum ea reperiatur aut sterilis esse, aut ex illis, quæ sunt interdictæ; vetito, mulieribus una: itemque si secundaria seu nota, seu ignota viro collocata fuit, nec sors donationis propter nuptias isti, neque reliquis è pactis dotalibus quidquam persolvetur: persolvetur autem id quod sorti donationis propter nuptias ultrò vir addidit. Rursus ei nihil à viro ne mortuo quidem ad victum & cultum sub-

miniſtrabitur : & cùm divortium facere vir cogitur, ab eo, quos cepit fructus è re conjugis, ij neutiquam exiguntur.

III. Quod autem ſors donationis propter nuptias his mulieribus adimitur, acceſſio non adimitur, hæc eſt cauſa & ratio : quia ſortem donationis propter nuptias uxori decreverunt Sapientes ideo, ut viro ne facile eſſet miſſam facere conjugem : unde fit, ut fœminæ ſterili, quando minus cognita viro collocata fuit, omnino ſors donationis propter nuptias non dependatur : acceſſionis enim ſponte ſua ſe vir alligavit ſtipulatione, dum uxor ſibi præſto eſſe vellet : atqui conditioni ſtetit mulier, viro ſe ſe fruendam permiſit, atque etiam parata illi adeſt. Atenim iſtac homini Lege interdictum eſt : quid autem mulier faciat? Accipiet igitur id quod donationi propter nuptias ultro vir addidit : neque enim mulier commiſit, ut poſt nuptias demum viro propter mores ſuos interdiceretur, ſed jam ante interdicta illi fuit.

IV. In ſecundariis autem cognita non ſecernitur ab ignota : interdixerunt autem ne iſtiuſmodi mulieri ſors donationis propter nuptias perſolveretur uſquam : hæc enim non eſt interdicta, niſi ex inſtitutis Sapientum, qui ſuum edictum adeo confirmarunt. Jam ſi de mulieribus vetito interdictis aliqua juncta ſit viro ſatis cognita, itemque ſi mulierum juſſo interdictarum aliqua ſeu nota, ſeu ignota viro data fuerit in nuptias, his ſit perſolvenda donatio propter nuptias, hanc vide-

licet ob causam, quod interdictam vetito mulierem qui sciens prudens in matrimonium duxit, is sane nihil aliud voluit, quàm suis eam sumptibus alere: & de qua muliere jubendo sancitum est, hujus interdictio adeo levis est. Harum igitur mulierum utrique si virum mors occupaverit ante, quàm cum ipsa divortium fecit, postea victus sit præbendus. Et utraque si vel tum, cùm vir peregrè esset, in victum aliquid mutuata fuerit, hoc ille dissolvat oportet: porrò etiam quidquid fructus ex utriusque facultatibus vir ceperit, ab eo repetatur cùm uxorem missam facere cogitur.

V. Et illi, quæ virum renuat, mulieri sors donationis propter nuptias non solvitur; solvitur accessio: cujus è re vir si quid fructus cepit, ab eo non exigitur. Quæ si cùm esset etiam subjecta viro mulier ab aliis in victum mutuata quid fuisset, tum postea renueret, alimentum hoc à viro non repeteretur.

VI. Jam infamis adulterij labe mulier excluditur & sorte donationis propter nuptias, atque accessione, & reliquis etiam pactis dotalibus, quippe quæ de flagitiis suis viro sit interdicta.

VII. Quid autem de dote harum mulierum judicetur? Nempe dos dum existat, mulier etiam adultera discedens suum auferat. Nam secundariæ, & mulieris jusso interdictæ tum notæ, tum ignotæ, & sterilis, & interdictæ vetito mulieris satis cognitæ item, ut de dote cunctarum mulierum statuitur.

VIII. Omnino bonorum ſtabilium damnum uxori virum præſtare jus eſt: de caducis autem quidquid ſubreptum, aut perditum eſt, uxori perditum eſt, vir nil rependat: verùm cùm uxorem vir duxerit ſterilem, aut ex interdictis aliquam minus cognitam, tum is, quidquid ex bonis uxoris ſtabilibus perditum, ſubreptum, quidquid ætate confectum ac contritum fuerit, nihil reſtituat: quippe cui mulier bona ſua permiſerat omnia. Idem hic, ſi caducis è rebus aliquid perditum, ſubreptum ſit, uxori reſtituat. Fit autem in iſta contra atque in cunctis mulieribus, quia connubium iſtiuſmodi non habet eam vim, ut hoc nomine viro adquiratur mulieris caduca res.

IX. Jam mulieri virum renuenti, quod ejus è rebus abſumptum eſt, neutiquam reſtituatur. Nimirum quod hujus è rebus tum caducis, tum ſtabilibus perditum aut ſubreptum eſt, à viro non repetitur: verùm enim ſi quid etiam exiſtat, id hæc diſcedens auferat.

X. Nam mulier illa, quæ lectum jugalem polluit, illa privatur ſorte & acceſſione donationis propter nuptias: porrò autem à viro non repetitur quod perditum aut ſubreptum fuerit illius è rebus ſtabilibus: nam è caducis ne dici quidem neceſſe eſt: neque hæc tantùm quæ fœdus violavit conjugiale; ſed etiam quæ commiſerit contra Legem Moyſi, contra Judæorum morem, & quæ infamiæ cauſa miſſa fiat, excludatur tum ſorte & acceſſione donationis propter nuptias, tum cunctis pa-

ctis dotalibus : atque harum quæque dotis suæ quidquid extiterit discedens auferat; quod imminutum fuerit ac perditum, id à viro restitui jus non est.

XI. Hæc igitur sunt quorum si quid fecerit mulier, contra Legem Moysi commisit: si nudato capillo in publicum prodisset : si se jurejurando obligasset, aut voti sponsione, nec stetisset promissis : si menstrualis cùm esset lecto geniali uteretur : si placentam illam è massa farinaria non exemisset : si cibaria viro vetita apposuisset, ea videlicet, unde decimæ nondum fuissent ablatæ: nam abominanda, reptilia, morticina, nec dici quidem necesse est. Sed hæc quemadmodum sciri queunt? Nempe si viro dicit uxor fruges istas expeditas & paratas reddidit hic ille sacerdos, hæc illa mulier ex ista farinaria massa ritè mihi placentam exemit, sapiens hic ille maculam sanguinis menstrui nomine suspectam mihi declaravit esse mundam, vir escam comedit, mulierem subagitat, sapientem rogitat, hic rem pernegat. Eadem est ratio mulieris, quæ cùm in vicinia pro menstruali putaretur, marito dixit se mundam esse, atque ab eo subacta fuit.

XII. Jam more Judæorum intelligitur honestus ille pudor qui viget in fœminis Israëliticis. Ecce autem ea, quorum si quid fecerit mulier, morem Judæorum violaverit : si processit in plateam, immo etiam in angiportum pervium, nec esset accommodata capiti calantica, qua fere operiuntur mulieres, etsi capillus linteo obvolveretur : si cùm neret in

publico roſam aut ſimile quid ornandi vultus gratia ad frontem, ad malam apposuiſſet ſic, ut laſcivæ ſolent mulieres ethnicæ: ſi cùm in publico neret bracchia oſtentaſſet, cum juvenibus luſiſſet: ſi ut navaret ſibi operam à viro tam elata voce petiſſet, ut de re venerea loquentem vicinia facilè exaudiret: ſi audiente viro ſocerum ſuum execrata eſſet.

XIII. Eſdras quidem ſanxit, ut modeſtiæ cauſa mulier domi quoque cingulo præligata ſemper eſſet. Quæ ſi mulier diſcincta fuit, tamen nec fecit contra Legem Moyſi, nec donationem propter nuptias perdidit. Porrò nec illa mulier quæ nudato capite prodiit ex ædibus aliis in alias intra idem angiportum ſitas, ſiquidem capillus linteo obvolutus erat, nec illa contra Judæorum morem fecit.

XIV. At verò quæ contra Legem facit mulier, eam oportet præſentibus teſtibus admoneri prius, quàm perdat donationem propter nuptias. Nam ſi qua intra domeſticos parietes Legem violavit, vir novit, reprehendit mulierem nec ullis adhibitis teſtibus; rurſuſque hæc contra Legem committit, vir appellat, ait mulierem poſt admonitionem etiam contra Legem feciſſe, illa negat ſe feciſſe quidquam contra Legem, aut à marito fuiſſe ſceleris admonitam; ſi eſt, ut vir mulierem velit miſſam facere, huic poſtquam jusjurandum dederit ſe non feciſſe contra Legem, numerabit pecuniam donationis propter nuptias: mulier enim ſi confitetur ſe poſt admonitionem commiſiſſe

contra Legem, omnino nihil ei debetur.

XV. Jam infamiæ causa missa sit mulier, si testes sint ab ea factum esse turpiter adeo, ut satis cognoscere liceret commissum esse flagitium, quanquam de complexu venereo nihil testimonio confirmetur: ut si qui ex ædibus, ubi mulier sola resideret, unguentarium cernentes exeuntem continuò introissent, mulierem offenderent è lecto surgentem, femoralia induentem, cingulum præligantem: iidem si in superna tori parte humidum quasi sputum invenirent; si mulierem & unguentarium ex tenebricoso quodam loco simul exeuntes; si vicissim è fovea se trahentes, & horum similia: si tunicæ reticulatæ limbum unguentarium osculari mulieri viderent: si viderent eos inter se suaviantes & amplexantes: porrò si viderint illud, horum alterum abisse conclave in aliquod, alterum illico esse consecutum, ubi huc abissent, ostium operuisse, atque horum similia, vir ubi velit nuntium mulieri remittat, discedenti de donatione propter nuptias dependat nihil. Etenim hanc nec admoneri quidem flagitij necesse est.

XVI. Atqui cum uxore, quæ contra Legem Moysi commisit, aut contra morem Judæorum, quæque fecit turpiter, vir invitus divortium facere non cogitur: scilicet viro est in manu, uxor ne discedat: quæ ut à viro non discedant: tamen privantur illa donatione propter nupter nuptias. Nam donationem propter nuptias Sapientes uxori decreverunt

ideo, ut viro ne facile videretur esse conjugem missam facere: porrò laborarunt Sapientes fœminis Israëliticis prospicere castis & integris; impuris autem istis neutiquam consultum voluerunt; sed facile esse viro istas missas facere.

XVII. Si quis vel ipse suis oculis uxorem mœchari vidit, vel audivit de aliquo ex suis mulierisve propinquis, cujus fide atque auctoritate adductus esset, ut crederet uxorem suam mœchatam esse, seu vir esset ille qui scelus prædicaret, seu fœmina; siquidem marito sic persuasum esset, esse rem veram; oporteret uxorem missam faceret: porrò cum ea corpus miscere prohiberetur: donationem propter nuptias ei repræsentaret. Nam mulier si viro confitetur se mœchatam esse, sine donatione propter nuptias discedat. Cùm igitur vir ipse deprehendit uxorem in adulterio, jubebit istam per apprehensum volumen Legis quàm desiderabilis jurare se conjugij fidem non violasse, tum deinde denique numerabit isti pecuniam donationis propter nuptias: alia verò de causa mulierem ad jusjurandum vir non adiget, nisi cum ea paraverit.

XVIII. Mulier si viro enuntiat ipsa se voluntate suum lectum genialem contaminasse, nihil istius verba nos movent: suspicamur autem ab ista alij viro oculum adjectum: verùm enim donationem propter nuptias perdidit sortem & accessionem: perdidit & trita rerum suarum, ut quæ fatetur adulterium à se commissum esse. Qui si mulierem vera

prædicare vir credat, nec poſſit animum inducere, ut de dictis ejus ambigat, hic iſtam oportet miſſam faciat. Conſilium autem ob ejuſmodi rem uxori nuntium remittere cogit neminem: niſi ſi teſtimonium accedat duorum, qui dicant ſe præſentibus & inſpectantibus iſtam hujus illius mulierem voluntario ſe ſtupro contaminaſſe: tum verò vir miſſam facere mulierem cogitur.

XIX. Mulier nupta ſi ſe viro dedit alieno imprudens, ſi per vim fuit ab aliquo ſtuprata, etiam conjugi eſt ſuo permiſſa. Nimirum quod eſt in Lege, *Et ipſa non fuerit* violata*, colligitur eam marito licitam eſſe mulierem, quæ violata fuerit ſeu ab homine ethnico, ſeu ab Iſraëlita. Porrò ſi ſtuprum per vim principio oblatum lubens efficeret mulier: immo ſi ita diceret, mittite hominem iſtum, quem ego, niſi mihi vim intuliſſet, mercede conduxiſſem; nihilominus tamen marito etiam permiſſa eſſet. Nimirum ex vi principio illata mulierem extrema libido iſthæc inceſſit.

Num. 5. 13.
* Atqui verbo Hebraïco gemîna vis eſt ſubjecta: primum enim ſignificat *deprehenſam* ſic, ut vulgata expreſſit: deinde *violatam*, ut noſter hic ſcriptor interpretetur ex auctoritate Talmudis.

XX. Quas prædones abripuere mulieres itidem, uti quæ bello captæ, per vim ſtupratæ eſſe dicuntur, atque maritis ſunt etiam permiſſæ. Nam ſi relinquentes ſe prædones ſponte ſua ſecutæ fuerint mulieres, iſtæ videlicet voluntario ſe ſtupro contaminaſſe judicentur, atque viris adeo ſunt interdictæ. Jam mulieris imprudentia, & vi nefaria temeratæ jus idem atque eadem eſt ratio: eſt enim aliquatenus imprudentia conjuncta vis.

XXI. Sic eſt enim mulier ſi nupta cum viro plebeïo fuerit : ſacerdotis verò conjux ſeu imprudentia ſeu vi temerata ſit, viro interdicitur : nimirum mulier ut ut temerata fuit, tamen evaſit meretrix, qua, ut tractatu de concubitibus vetitis diſſeretur, ſacerdoti interdictum eſt.

XXII. Etenim cùm plebeij hominis, tum etiam ſacerdotis uxori, quæ per vim ſtuprata fuit, donatio propter nuptias maneat, ſors & acceſſio:nihil ea quidquam de donatione propter nuptias perdiderit. Sacerdos igitur repræſentare donationem propter nuptias, atque mulierem miſſam facere cogitur.

XXIII. Si conjugi ſacerdoti mulier ultrò dicat, ego per vim, per imprudentiam viro ab alieno ſubagitata ſum, nihil eſt, quod verbis hujus conjux moveatur : quia enim mulier forte virum in alium conjecit oculos. Idem hic ſi conjugem putet dignam, cui fidem habeat, miſſam faciat mulierem, pecuniam donationis propter nuptias numeret.

XXIV. Si præſentibus teſtibus duobus uxori maritus edixiſſet,ne cum hoc illo ſe viro abderet, tum inſpectantibus hominibus duobus iſta ſe cum illo abdidiſſet aliquò ac commorata eſſet ad temerandum ſatis, mulierem dum aquis illis amariſſimis pertentandam vir curaſſet, interea hac ei interdiceretur, quemadmodum tractatu de muliere ſuſpecta adulterij explicabitur. Sin vir mortem obiſſet ante, quàm curaſſet mulierem eo potu probandam, privaretur illa donatione propter nuptias ; tamen

tamen etſi præterea nihil turpe comparuiſſet, quia hoc ipſo turpius eſt nihil. Hodie verò quoniam aqua nuſquam eſt illa, qua poſſit adulterij ſuſpicio dilui, perpetuùm marito interdicitur iſta muliere: diſcedet igitur, atque donatione propter nuptias multabitur, ſorte & acceſſione: videlicet iſta mulier commiſit ipſa, ut marito interdiceretur.

XXV. Porrò ne cum hoc illo ſe viro ſecluderet ſi maritus uxori edixiſſet ſolus ſoli, atque vidiſſet mulierem cum illo ſe ſecludere, ac commorari ſatis ad patrandum flagitium, ſane hac interdiceretur viro his temporibus cùm nuſquam habeatur aqua illa ad ſuſpicionem adulterij diluendam conſtituta. Vir igitur oporteret mulierem miſſam faceret, atque exolveret donationem propter nuptias: niſi ſi mulier poſt edictum viri ſe ſecluſiſſe confiteretur, diſcederet ſine donatione propter nuptias. Quocirca iſtam mulierem ad jusjurandum adigeret, tum deinde denique donationem propter nuptias exolveret.

CAPUT QUINTUM ET VICESIMUM.

I. SI quis uxorem duxiſſet nihil ſuſpicans mali, atque votis obligatam inveniret, iſta quidem diſcederet, & multaretur donatione propter nuptias, ſorte & acceſſione: ſic habetur ea videlicet quæ vovit ſe ſe abſtenturam carne, vino, pigmento, omni rerum genere, quibus ſe fere expoliunt ejus

loci mulieres : verùm enim ob votum aliud ab iſtis nihil quidquam mulier perdiderit.

II. Similiter mulier ſi bona fide in matrimonium duceretur, atque reperiretur in ea horum, quibus temerari mulieres ſupra commemoravimus, vitiorum aliquod, neque vir illud ipſe noviſſet, neque porrò ex alio audiſſet atque mulierem etiam voluiſſet; & iſta quoque diſcederet atque multaretur donatione propter nuptias, ſorte & acceſſione. Si quis igitur oppidum habitet balneis inſtructum, in quo eodem propinquas habeat, non eſt, quòd dicat, ego vitia conjugis iſta non noveram, ne ſi fuerint occulta quidem : ſcilicet iſti hoc in manu erat, ut uxorem priuſquam domum duceret per fœminas ſibi propinquas perluſtrandam curaret. Quare ſic habetur hominem vitiorum monitum uxorem voluiſſe tamen : ſin oppidum balneis deſtitutum; item ſi homini in eo propinqui ſint nulli, de occultis vitiis uxorem appellet. Jam comitiali morbo certis temporibus affligi vitiis ex occultis unum eſt. Nam de vitiis apertis uxorem in jus vocare non convenit : apparent, prædicantur, ſic habetur, hominem audiſſe de iſtis, & manum dediſſe. Atque hoc quidem ſatis intelligitur, judicium id in his demum fieri locis, ubi mos ſit mulieribus in publicum nudata facie prodire ſic, ut ſinguli norint ſingulos, atque prædicent, hæc eſt hujus filia, hæc illius ſoror, ut nunc ferè fit in oppidis * Idumæis : ſin moris ſit loci, ut omnino virgines in publicum procedant nunquam,

* Id eſt Chriſtianorum, qui à Judæis Idumei uſurpantur : degebat enim ſcriptor hic apud Arabes.

aut si qua nonnunquam in balneum eat, eat vesperi, porrò se se occultet, nec sinat se præter propinquas contemplari neminem, hic & de vitiis apertis vir uxorem in judicium adducat: ita est enim ubi loci balneum sit nullum, nullamque fœminam propinquam vir habeat, cui mandaret, ut virginem in matrimonium ducendam contemplaretur. Nam in oppido balneis instructo, ubi nudata facie procedere fœminas consuetudo non fert, si quis propinquam habeat aliquam, huic uxorem de vitiis in jus vocandi nullus relinquitur locus, quippe cùm in balneo omnes nudam videre mulierem liceat: nisi forte mulieres & in balneo quoque se se obtegant atque occultent, virgines noctu lavent usque, aut usque solæ in quodam balnei quasi gynæceo, ne conspectæ agnoscantur; hîc verò vir uxorem de vitiis etiam apertis appellet: hoc enim à ratione præscriptum, nihil in Lege scripta sancitum est.

III. Atque horum magistrorum quidam volunt dictum hoc Sapientum, *Quia viro in manu erat, sui ut in uxorem inquirerent propinqui,* complecti non propinquos modò, sed etiam necessarios: ut si quis instructum balneo oppidum habitet, ubi prorsus ei nullus sit homo propinquus, tamen non possit uxorem de vitiis appellare: neque enim fieri posse, ut oppidanorum nulli consuetudine sint ei conjuncti: ageret igitur cum aliquo eorum, quibus familiariter uteretur, ut ejus aut uxor, aut soror in hanc illam inquireret:

quare ſic exiſtimandum, hominem de vitiis audiſſe, atque animum ejus eſſe conciliatum. Mihi verò ſententia hæc non probatur: quia enim his de rebus, niſi propinquis ſuis, animi ſenſum expromit nemo: neque porrò his de rebus quiſquam niſi propinquis ſuis multam fidem habet.

IV. *Si* quis igitur uxori de vitiis litem intendat, de vitiorum genere videndum erit quale ſit: ſi eſt, ut addubitari non poſſit, quin vitia in muliere fuerint ante, quàm viro deſponderetur, ut ſi digito redundet, vel quid hujus ſimile, opus erit, ut mulieris pater rationibus confirmet aut hoc, vitia noſſe virum, & nihilominus uxorem expetiſſe, aut illud, opinionem eſſe virum ea vitia cognita habuiſſe. Quod ſi non efficere poſſit, uxor diſcedet ſine donatione propter nuptias. Si eſt autem, ut vitia ſint ea, quæ poſt ſponſalia potuerint etiam in muliere naſci, ſic erit: ſi vitia reperiantur in muliere poſtquam ad virum eſt traducta, vir convincat mulierem fuiſſe hiſce vitiis contaminatam ante, quam ſibi deſponſa erat, adeoque * emptione ſua dolum malum ineſſe: ſin autem reperiantur vitia in muliere etiam ad patrem commorante, patris ſit probare poſt deſponſatam filiam hæc in ea vitia fuiſſe demum exorta; ita quaſi eluvionem in agro viri accidiſſe.

* Dictum eſt enim ad principium hujus tractatus viro mulierem emendam eſſe.

V. Quod ſi vir rationibus confirmarit in muliere necdum deſponſa fuiſſe vitia, aut hoc idem confiteatur mulier, pater autem ejus probet, vel virum cùm vitia virginis

perſpexiſſet ſiluiſſe, atque conciliatum eſſe, vel ita putari hominem ea vitia cognoviſſe, ac conciliatum eſſe, iſte quidem certè perſolvat uxori donationem propter nuptias oporteat.

VI. Qui cum uxore cubarit, & multis poſt diebus conſederit, is ſi deinde litem intendat ſe in uxore offendiſſe vitium quod ſibi nunquam ad hunc diem viſum fuerit, audiendus non ſit, non, ſi vitium illud in rugis, in planta pedis extiterit: ut enim putatur neminem è cyato potare, quin eum probè perluſtrarit; ſic & hominem iſtum exiſtimandum eſt vitium illud noviſſe, & uxorem voluiſſe tamen.

VII. Si mulieri cum viro nuptæ nec ſint ſtati menſes, nec quidquam ſuboleat uſque eò, dum ſanguis ille menſtruus apparuit, hæc ſui poteſtatem viro nunquam faciat, quin * teſtes illos obſervandi ſui gratia adhibeat duos: unum ante complexum venereum, alterum poſt. Et viri teſtis, quo videlicet ipſe ſe detergat, numerandus in his non eſt, quemadmodum in tractatu de concubitibus vetitis ediſſeretur.

* Eſt hæc conſuetudo Judæis mulieribus & viris ut poſt complexum venereum puro quodam linteo ſe quiſque ſeparatim detergat, menſtrualem ſanguinem explorantes: hæc igitur lintea teſtes appellantur.

VIII. Atque hoc vitium quamvis magnum mulieri damnum affert nullum, quippe quæ ſe ſe exploret priùs, quàm officio jugali fungatur. Mulier rite ſe obſervarit, atque viro ſui copiam fecerit, tum ſe detergentes alteruter in linteo teſte ſuo ſanguinem invenerit, idque tribus deinceps vicibus proximè conſequentibus acciderit, iſta porrò cum marito conſidere vetatur, &c.

discedens omni donatione propter nuptias, sorte, & accessione privatur: itemque cunctis pactis dotalibus; quippe quæ ad officium jugale non est idonea. Quam vir cùm amisit, non reducet unquam: alioquin usu veniat, ut, si mulier sanetur, vir intendat se cùm repudium uxori renuntiaret, prorsus cum ea divortium non fecisse: eandem hanc ut alter in matrimonium ducat, permissum est, qua de re in ratione mulieris menstrualis tractanda explicabitur.

IX. Sic se res habet siquidem ab initio connubij illico mulier ab primo complexu venereo item, uti postea, sanguinem vidit: Nam mulierem post nuptias affici, quasi agrum viri eluvione disturbari est. Itaque mulier si viri post concubitum vel unicum nihil invenit sanguinis, porrò autem invenit quo tempore cunque cum viro rem habuit, vir eam sic, ut paulò ante dictum est, dissoluta donatione propter nuptias amittat, nec reducat unquam.

X. Idem est statuendum de quocunque vitio post nuptias in muliere exorto adeo, ut si scabie tentetur uxor, viro nihilo secius sit in manu, ut eam vel retineat, vel numerata donatione propter nuptias amittat.

XI. Vir autem si post nuptias afficitur, si manu, si pede sit mutilatus, si privatus oculo, nihilo magis vi cogitur invitus uxorem porrò cum ipso considere nolentem amittere: mulier enim cum eo commorabitur: sin minus, discedat sine donatione propter nuptias:

quod quidem judicium de quavis muliere contumaci redditum eſt. Rurſus vir, cui fœditas odoris intorabilis in ore, in naſo oborta, qui legere caninum ſtercus inſuevit, qui æs è terra effodere penitus abditum, qui coria perficere, is invitus uxorem amittere cogitur, & repreſentare donationem propter nuptias: uxori contrà conceſſum eſt, ut ſi lubeat viro cum iſto commoretur.

XII. Quem verò virum mala ſcabies urgeat, hic vi cogitur uxorem amittere, & repræſentare donationem propter nuptias: nec mulier audienda ſi cum hoc conſidere velit: verùm alter ab altero diſtrahetur ea re, quia viro ſic affecto mulier tabem adfert miſerandam. Quæ ſi mulier dicat ſe teſtes adhibituram quominus ſecum vir conſueſcat, audienda ſit.

XIII. Quæ mulier cum viro collocata fuit eo, qui ore, qui naribus malè oleret, qui caninum ſtercus legeret, qui quid horum ſimile faceret, atque morte hujus in poteſtatem venit leviri eodem modo affecti, huic illa dixerit, fratrem ego tuum ferre potui, te non poſſum: itaque calceus erit ritè detrahendus, & diſſolvenda donatio propter nuptias. * *Videas filiorum filios, pax ſit Iſraël.*

* Eſt hoc ſcriptorum Hebræorum ſolemne ut diſputationibus ſuis clauſulam aliquam addant bene precantem, eamque plerumque ex ſacris litteris petitam: hoc idem fecit Majemonides noſter ad finem hujus tractatus de connubiis: quàm verò commodè aliorum ſit judicium. *Pſal.* 128.

Finis hujus tractatus.



SEQUUNTUR ILLÆ FORMULÆ, de quibus per totum hunc tractatum passim mentionem fieri in procemio dixi: has ego ex variis Majemonidæ dissertationibus huc in unum transtuli sic, ut sunt editæ apud exemplar in folio parvo, quod anno 1574. excusum est: excipe nomina propria, quæ à me sunt exempli causâ posita.

** Majemonides tractatu de divortiis, folio 59. p. 2.*

* *Hæc est formula divortiorum.*

HOc die hebdomadæ, qui dies est hîc ille mensis hujus, anno hoc illo vel à mundo constituto, vel ab epocha contractuum secundum istam computandi rationem, quam hîc loci observare consuevimus, Ego Phares Danielis filius ex loco N. & si quod aliud nomen ac cognomen mihique, parentibusque meis, sedique meæ, atque sedibus parentum meorum, inclinatione voluntatis, nulla adhibita vi assero, mitto, repudio te Sephoram Nephtalis filiam, quæ es ex loco N. & si quod aliud nomen & cognomen tibi, parentibusque tuis, sedi tuæ, aut sedibus parentum tuorum, quæ fuisti antehac uxor mea, nunc assero, mitto, repudio, ut in tua potestate, & tui juris sis deinceps, & nubas cui

viro cunque visum fuerit, nec quisquam te meis verbis impediat ab hoc usque die in posterum: En tu permissa sis cunctis viris. Hic tibi sit à me libellus repudij, libertatis assertio, divortij litteræ secundùm Legem Moysis & Israëlitarum.

GABRIEL Judæ filius, testis.
RAPHAEL Saduci filius, testis.

Formula renuendi.

Majemonides ibid. fol. 79. p. 2.

HOc die, qui dies est hic ille mensis hujus, anno hoc illo ad istam computandi rationem renuit Lia Sibæ filia nobis præsentibus, atque ita dixit. Mater mea, frater meus impulerunt me etiamdum parvam, atque nuptum dederunt, aut dedicaverunt Isboseto Nabalis filio. Nunc igitur voluntatem meam aperio vobis: hunc ego nolo: cum eo non manebo. Nobis igitur in hanc Liam inquirentibus compertum est parvam eam fuisse. Qua de causa has scripsimus & subsignavimus, dedimusque ei pro jure, & testimonio valituras.

DAVID Nahumi filius, testis.
GERSON Baruchi filius, testis.



Majemonides tractatu de leviro discalceando & fratria jure affinitatis ducenda, fol. 97. p. 1.


Formula litterarum divortij, quas vulgò perscribunt fratriæ, quæ levirum discalceavit.

HOc die, qui dies est hic ille mensis hujus, anno hoc illo à constituto mundo, ad illam computandi rationem, quam hîc loci observare consuevimus; Nos judices, qui partim his litteris subscripsimus, tres unà in judicio consedimus. Adiit nos Sara Joæ filia, vidua Manassæ: tum adiit nos vir quidam, cui nomen Miphiboset Sedeciæ filius. Atque Sara ita dixit: Iste Miphiboset ex eodem patre Sedecia frater est Manassæ viri mei, cui juncta connubio eram. Is enim occubuit, vitamque Rabbinis ac cunctis Israëlitis reliquit, nec ullum ex se reliquit filium, aut filiam, aut hæredem, aut nomen ejus inter Israëlitas suscitantem. Atque ab hoc Miphiboseto ejus fratre jure affinitatis duci me convenit. Vos igitur, Rabbini, jam nunc edicite illi, ut si ducere me velit, ducat: sin minus, expediat mihi pedem suum dexterum inspectantibus vobis, & extraham calceum ejus è pede, & in faciem ejus inspuam. Nos comperimus Miphibosetum Manassæ emortui ex eodem patte fratrem esse: ediximus ei, si vis mulierem in matrimonium ducere, ducas: si nolis, expedi illi præsentibus nobis pedem tuum dexterum, & extrahat calceum tuum à pede tuo, & in faciem tuam conspuat: tum is respondit, atque ita nobis dixit: non ego

ducere hanc volo: nos confestim jussimus Saram legere versum hunc: *Renuit levir meus suscitare fratri suo nomen inter Israëlitas, noluit ducere me:* Et istum quoque Miphibosetum jussimus legere versum hunc, *Nolui accipere eam.* Post hæc expedivit dexterum pedem suum, & mulier calceum ejus è pede extraxit, & ad faciem ejus conspuit sputum, quod nos spectavimus ab ore ejus ad terram usque. Rursus hunc Miphibosetum jussimus legere versum hunc, *Sic fiet viro, qui non ædificabit domum fratris sui:* Porrò eundem Miphibosetum jussimus legere & istum versum, *Et vocabitur nomen ejus in Israël domus extracti calcei:* tum nos ipsi judices, & quicunque sub conspectu nostro subsederant post ipsum ter respondimus, *Extracti calcei, extracti calcei, extracti calcei.* Quod cùm factum esset nobis inspectantibus, permisimus Saræ isti, ut deinceps nuberet cui viro cunque visum fuerit, nec eam absterreat quisquam ab hoc die in posterum. Sara enim ista poposcit à nobis litteras divortij videlicet hoc calceo extrahendo facti, quas nos scripsimus, subsignavimus, mulierique pro jure suo dedimus secundùm Legem Moysi & Israël.

Deut. 25. 7. *Ibid. v. 8.* *Ibid. v. 9.* *Ibid. v. 10.*

PHINEES Simeonis filius, testis.
ISSACHAR Mardochei filius, testis.



Majemonides ibid fol. 97. p. 1.

Formula instrumenti nuptialis, quod leviri vulgò perscribunt fratriis, quas jure affinitatis in matrimonium ducunt.

HOc die, qui dies est hic ille mensis hujus, anno hoc illo secundùm putandi rationem, quam hic loci usurpamus, cùm nos adisset Ephraim Nahumi filius ita locutus est. Meus ex patre frater occubuit, vitam Rabbinis, atque universo Israëlitarum populo reliquit, nec reliquit ex se filium, filiam, hæredem, & suscitantem nomen ejus inter Israëlitas, idemque reliquit uxorem, cui nomen Anna Salomonis filia. Hanc me ducere jure affinitatis ex Lege convenit. Videmus
Deut. 25. 5. enim in Lege Moysi scriptum, *Levir ejus coibit cum ea.* Anna enim ista voluit jure affinitatis duci Ephraimo Nahumi filio leviro suo, ut fratri nomen suscitaret inter Israë-
Ibid. v. 6. litas, id quod in Lege scriptum est, *Quemque primogenitum enixa fuerit, is in fratris emortui nomen concedito.* Ephraim enim levir mulieri isti fratriæ suæ perscripsit denarios nummos ducentos, qui illi conveniebant, quas ei pro donatione propter nuptias vir ejus superior perscripserat: porrò hic Ephraim de suo mulieri addidit hoc illud: mulier dotem apportavit leviro hanc, & reliqua pro cæteris formulis instrumentorum nuptialium.



Formula instrumenti nuptialis.

Majemonides Ibid. p. 2.

HOc die, &c. David Elchananis filius dixit sponsæ suæ virgini Noëmæ Joannis filiæ, esto mihi uxor secundùm Legem Moysis & Israël. Atque ego per verbum Dei colam & observabo te, sustentabo, nutriam, alam, operiam, uti solent viri Judæi observare, nutrire, alere, & operire uxores suas sincerè. Jam pro virginitate tua dono tibi denarios nummos ducentos, quibus conficiuntur argenti denarij viginti quinque, qui tibi ex Lege conveniunt: porrò autem dabo victum & vestitum, cæteraque ad vitam necessaria, ac tecum consuetudine communi consuescam. Placuit igitur Noëmæ isti uxorem esse Davidis hujus, qui sponte sua ad sortem donationis propter nuptias addidit hanc illam summam. Jam Noëma dotem hanc illam apportavit: eam sponsus hic accepit totam: venit ipsi in manum, & permissa fuit ejus potestati: omniaque sic tanquam creditum & debitum in se recepit. Itaque nobis dixit David sponsus iste, instrumenti hujus universam obligationem, sortis illius donationis propter nuptias, dotis, & additionis, cæterorumque conventorum dotalium in me recipio, & hæredes meos post me, in pulcherrimum quodque fortunarum & possessionum, quæ mihi sunt subter cœlo, quæ mihi sunt adquisitæ & adquirendæ: fundi

mei & cum fundis res quoque mobiles, omnia ſint arrhaboni & pignori oppoſita toti huic nuptiali contractui, doti, ſorti, & acceſſioni donationis propter nuptias, ut inde diſſolvantur, tam vivente, quàm mortuo me: imò & de pallio quod erit meis impoſitum humeris: Atque hæc, quæ ſupra ſunt deſcripta & nuncupata à Davide iſto adquiſita ſunt adquiſitione perfecta, non ratione levi, non exemplari primæ cujuſque perſcriptionis, ſed pro omnium firmamento & robore illo contractuum nuptialium, qui uſurpantur inter Iſraëlitas, atque etiam ex more & inſtituto Rabbinorum noſtrorum piæ memoriæ. Subſignauimus autem hoc inſtrumentum nuptiale tempore ſupra dicto. Ac totum hoc ratum, fixum, firmum ſit.

FINIS.

209

